DE

ARTIBUS RHETORICAE RHYTHMICAE

SIVE

DE ARTIBUS POETICIS IN FRANCIA ANTE LITTERARUM RENOVATIONEM EDITIS, QUIBUS VERSIFICATIONIS NOSTRAE LEGES EXPLICANTUR

THESIM

FACULTATI LITTERARUM PARISIENSI

DOCTORIS GRADUM ADEPTURUS

PROPONEBAT

Ernest LANGLOIS

PARISIIS

APUD BIBLIOPOLAM ÆMILIUM BOUILLON

VIA RICHELIEU, 67

—

1890

DE

ARTIBUS RHETORICAE RHYTHMICAE

DE

ARTIBUS RHETORICAE RHYTHMICAE

PROOEMIUM

Hoc nomen *Artes Rhetoricae rhythmicae* illis commentationibus impono quae quarto decimo, aut quinto decimo, aut in priore sexti decimi saeculi parte ideo compositae sunt ut exponerentur formae quibus tum Galli poetae uti solerent. Auctores autem de quibus dicturus sum, cum ipsam poesim, gratuitum innatumque naturae donum, ab artificio vellent distinguere, quae res discitur acquiriturque, doctrinam illam « Artem Rhetoricae » appellaverunt qua artificium doceri potest et acquiri. Ne vero « Ars Rhetoricae » cum arte oratoria, propter nominis similitudinem, confunderetur, finem materiamque operis, additis quibusdam vocabulis, definierunt. Cum tamen omnes rem subtilius determinare vellent, alii alia vocabula communi titulo addiderunt. Alii « secundam Rhetoricam » dixere; alii « laicam Rhetoricam »; alii « Rhetoricam quae docet quomodo implicentur rhythmi et formentur multigena poemata ». Nobis vero communis titulus eligendus fuit qui omnes hos

libros comprehenderet, unoque nomine exprimeret quod plures auctores pluribus nominibus exprimere tentaverunt. Cum enim oporteret hanc rhetoricam quae versificationem docet ab illa rhetorica distingui cujus materia est soluta oratio, hic titulus « Ars Rhetoricae rhythmicae » aptissimus rei visus est; quamvis, fateor, Eustachii de Campis consilio non satis apte sese accommodet. Ille enim, vetustissimae commentationis auctor quae nobis conservata sit, hanc artem, versificationis magistram, ex musica ortam esse putat, non ex rhetorica; nempe librum suum appellavit : « *L'Art de dictier et de faire chançons, ballades, virelais et rondeaux.* »

Solus autem discrepat ; ceteri contra auctores eorumque aequales rhetoricae nomen ita vulgo, ita consulto usurpaverunt ut necessario recipiendum videatur. Quod si, de his commentationibus dicturus, Artis poeticae nomine uterer, non eorum profecto consilium exprimerem qui eas composuerunt, idemque error esset ac si, nostris temporibus, libri de prosodia latina aut de versificatione gallica scripti « Artes poeticae » appellarentur.

Veteres illos libros accuratius excutere utile pluribus ex causis videtur : hic enim documenta pretiosissima et adhuc tamen neglectissima reperias; quoddam inde lumen cujus auxilio clarior appareat aetas obscurissima; immo hanc aetatem dicere licet solam, in nostrarum litterarum historia, omnino ignorari, aetatem dico quae ex finiente quarto decimo saeculo ad incipiens sextum decimum saeculum extenditur.

Prima horum librorum utilitas ex ipsa materia apparet; etenim, ut supra dictum est, accuratius adjunctisque exemplis versificationis leges explicant et docent quae his temporibus formae in usu fuerint, multiplices, scrupulosae et quasi implicitae. Inde igitur certo cognoscere licet et multiformem illam poematiorum turbam, *rondellos*, *ballatas*, *servantasios*, *lais*, *virelais*, *pastorales*, *etc.*; et quot variationibus cujusque eorum figura paulatim immutata sit. Tot inconstantes et quasi fugitivas formas deprehendere et sequi possumus, ex quo primas novi illi fructus gemmas egerunt, ut Stephani Pascasii verba usurpem (1), donec marcuerint; qui quidem in veterem nostrae poesis stipitem insiti, omnem ejus succum exhauserunt.

Adde quod res natura indissociabiles, hinc poeticum ipsum ingenium, illinc formae quibus ingenium utitur, separari neutiquam possunt, nec de una anquiri licet quin de altera simul agatur. Horum itaque librorum auctores, quamvis non ostendere destinent quae sit, illis temporibus, poetica facultas, inconsulto tamen et aliud agentes, rem proprio proposito contiguam attingunt et oblique, ut ita dicam, illustrant. Hinc igitur fieri potest ut ediscamus quae fuerit tum apud Gallos poesis fortuna, quo scilicet modo quibusque fluctuationibus laboraverit.

Plura quoque praeceptis exempla adjunguntur, unde non contemnenda utilitas : hic enim quaedam

(1) *Recherches de la France*, lib. VII.

poemata saepius inveniuntur quae nusquam alibi reperiri possunt; quae, etiam si aliunde cognoscantur, hic varias lectiones offerunt; immo ea ideo in exemplum proponi apparet quia multum illis temporibus approbata laudataque fuerunt; deinde auctoris nomen, quod in aliis codicibus deest, hic aliquando pariter cum versibus refertur.

Immo nostri libri quosdam poetas floruisse docent de quibus nulla alias mentio; quosdam alios, jam antea cognitos, novis illustrant documentis; plura quoque hic testimonia de poeticis certaminibus quae tum « podia » vocabantur.

Neque sola historia operae pretium habebit si hos libros evolvat; multa quoque indicia philologo parata sunt, si velit anquirere quo modo tum verba pronuntiarentur et sonarent; hic enim « rhythmorum repertoria » saepe longissima et ab glossariorum auctoribus neglecta, benigniorem verborum messem tulissent, quae in eorum opere desiderantur.

Hos tamen circa libros quamvis, ut nobis videtur, utilissimos minima adhuc fuit eruditorum cura; quidam eorum nondum editi sunt, ceteri typis quidem mandati, quinto decimo vel sexto decimo saeculo, sed negligentissima typographorum arte; hi rariores etiam facti sunt quam illi qui sola scribarum cura conservati fuerunt. Quidam iterum typis editi, sed in eorum usum quorum curiosior bibliotheca ea potissime affectat quae rara sunt; scilicet novae istae editiones et pessimae sunt, nec nisi magno pretio emuntur.

Anno 1869, Fredericus Joüon hac de materia in Schola Chartarum disputabat, sed commentationem suam typis nunquam mandavit.

Anno 1882, Georgius Pellissier, doctoris gradum adepturus, Facultati litterarum Parisiensi thesim lingua latina scriptam proponebat *de Sexti decimi saeculi in Francia Artibus poeticis* (1).

Hoc in animo habebat Pellissier ut in illis Artibus quaereret qua paulatim progressione novus quidam animus creverit donec ea tandem aetate efflloresceret quae apud nostros homines Renovationis nomine appellata est. Ex Arte quam Faber scripsit, uti decebat, profectus est, qui liber anno 1521 editus, totus adhuc illam disciplinam redolet cui, mediae aetatis temporibus, obnoxia fuit poesis. Artes sedulo inspexit quas scripsere Gratianus de Ponte, Sibilettus, Fontana, Pelletarius, Ronsardus, Petrus de Lauduno; tandem ad Walkelinum de Fraxineto pervenit; cujus quidem libro, quippe qui operis finis sit et quasi meta ultima, plus quam dimidiam commentationis suae partem attribuit. Sagacissime et prout ferebant operis ordo et consilium ostendit quid intersit inter hos libros qui posterius compositi sunt et priorem illum Fabri librum; quo scilicet processu singuli vicissim libri in ea via progrederentur quae Renovationem tandem attingit.

Duobus post annis, alteram thesim, germanico sermone scriptam, Heidelbergensi Universitati pro-

(1) Parisius, 1882, in-8°.

ponebat Henricus Zschalig sub hoc titulo : *Die Verslehren von Fabri, du Pont und Sibilet* (1). Destinaverat auctor, ut ipse ait, tres illos libros accuratius excutere; sed, deficiente tempore, primo tantum et vetustissimo operam dedit; ceteros non potuit nisi leviter attingere; quod ad eos attinet, ea tantum consideravit quae summatim et generaliter ad historiam pertinerent (2).

De thesi a Georgio Pellissier composita nullam Zschalig mentionem facit; aliis vero documentis innititur, his scilicet operibus quae gallice appellantur : *Biographie universelle de Michaud*, et *Nouvelle Biographie générale de Didot*.

Praeter duas illas theses, nullus de materia nostra liber editus est; nihil ultra librum Fabri, qui, ut dictum est, anno 1521 typis primum mandatus est, attingunt; quidquid igitur quarto decimo et quinto decimo saeculo de re scriptum est, omnino omittunt. Quosdam ex his thesibus locos non semel referemus.

Eas tantum Artes Rhetoricae attingam quae de versibus gallicis disputant; Artem quamdam igitur de sacris prosis, cui titulus est : Ars rythmicandi (3),

(1) *Die Verslehren von Fabri, du Pont und Sibilet.* Ein Beitrag zur älteren Geschichte der französischen Poetik, von Heinrich Zschalig. Inaugural-Dissertation ...an der Universität Heidelberg. Leipzig, 1884, in-8°.

(2) Addit tamen : « Impositum antea titulum conservare posse mihi visus sum. » Immo haec adduntur : « Ceterum, si fieri potest ut res ornatissimis viris approbetur qui gallicam poesim defendunt et diligunt, parati sumus inceptum opus perficere. »

(3) Haec in *Reliquiis antiquis* a Th. Wrigt, t. I, p. 30-32, edita

aliasque « Artes rythmicandi, » a doctissimis viris Hoffmann (1) et Mone (2) typis mandatas, ut quae de versibus latinis tractent, negligam. De provinciali Arte Rhetoricae quae *Flors del gay Saber* appellatur, ideo tantum loquar ut ostendam quid unus ex gallicis auctoribus inde mutuatus sit.

Non mihi consilium est continuum, historicorum more, ordinem sequi et materiam ex his Artibus sumptam ita digerere ut tota et disposita appareat formarum poeticarum vita. Longius etiam absit consilium enarrandi quae fuerit illis temporibus poesis historia. Hoc tantum mihi propono ut illae Artes clarius meliusque quam antea cognoscantur, ut appareat quot et qualia inde documenta sumi possint. Hos igitur libros ordine recognoscam eo scilicet proposito ut indicetur, si opportunum fuerit, unde et ex quo fonte fluxerint, quid inter eos commune sit, quid discrepet; certum compositionis tempus definire tentabo et ostendere quanta cuique fides adhiberi possit, quid valeant documenta quae inde suggeruntur.

Usque ad ea tempora procedam quibus illae formae, praecipua harum Artium materies, aliis succrescentibus formis, emoriuntur. Tum, in locum Artium nostrarum quae Rhetoricae vocabantur, Artes poeticae

est (Th. Wright et J.-O. Halliwell, *Reliquiae antiquae*. Scraps from ancient manuscripts. London, 1841-1843. 2 vol. in-8°.

(1) *Altt. Blätter*, I, p. 212.

(2) *Anzeiger für Kunde der teutschen Vorzeit*, an. 1838, p. 586.

succedunt; tum apud gallicas litteras novus rerum ordo nascitur, nova aperitur aetas, multo clarius cognita quam illa quae prior fuerat.

L'ART DE DICTIER

Auctore Eustachio de Campis.

Inter omnes hujusmodi libros qui usque ad aetatem nostram exstiterunt, vetustissimus est Eustachii de Campis. Cui titulus is inscribitur : « *L'Art de dictier et de fere chançons, balades, virelais et rondeaulx.* » Scriptor quidem ipse nos docet hunc librum « maximi nec non eximii optimatis atque domini imperio » a se esse compositum. Confectus est autem anno 1392 (1).

Duobus codicibus nobis est transmissus, quorum prior anno circiter 1415 scriptus, apud Nationalem Bibliothecam Parisiensem, sub n° *fr.* 8 ; alter quinquaginta annis circa recentior, nunc apud Asburnhami bibliothecam invenitur.

Typis, anno 1832, a Crapelet mandatus est, post moralia historicaque carmina Eustachii in eodem volumine collocatus (2). Parisiensem vero codicem, quem

(1) « Ce fut fait le 25e jour de novembre, l'an de grace Nostre Seigneur 1392. »

(2) *Poésies morales et historiques d'Eustache Deschamps...* publiées

solum tunc palam habebant, sequitur. Rursus autem in eo est ut typis mandetur, utroque codice auctore, in octavo omnium Eustachii de Campis operum volumine, quae marchio de Queux de Saint-Hilaire *Societatis Veterum scriptorum curiosae* gratia edidit (1).

Eustachius musicae poesim arctissime conjunctam esse censet. Initio quidem septem artes liberales definiendas curat, quas ita appellatas habet « pour ce que anciennement nul, se il n'estoit liberal, c'est a dire fils de noble homme et estrait de noble lignie, n'osoit aprandre aucun d'iceuls ars » (p. 261). Omnia autem ex quibus musica exstat in duas partes partitur, quarum una ab arte, altera ab natura ducitur : illam quae proprie musica appellatur quivis, « mesme le plus rude homme du monde », facillime discere potest.

« Alteram autem musicae partem, inquit, a natura ductam habeo, quia nemo eam a magistris docendus est, nisi quodam ingenii acumine ad discendum sit ornatus. » Musica vero dicitur quia necesse est ut versus, si vis eos qui audiunt delectari, pronuntientur, ut mos est in poeticis conciliis quae gallice *puys d'Amours* dicuntur. Varii enim vocis flexus atque remissiones in hoc peculiari musicae genere tam magni momenti sunt quam in altero cantus.

pour la première fois d'après le manuscrit de la Bibliothèque du Roi... par A. Crapelet. Paris, 1832, gr. in-8°.

(1) Sex volumina jam in lucem emissa sunt, quorum ultimum a Gastone Raynaud, defuncto marchione de Queux de S. Hilaire.

Quanquam eorum generum utrumque sibimet ipsum sufficit, si tamen alterum cum altero necessitudine quadam conjunxeris, tunc nova e mutuo commercio utrique subit venustas. Ut hos igitur quos natura illius innatae musicae studiosos aut jam fecerit aut factura sit nonnulla praecepta doceat scriptor operam est daturus, « afin que ilz saichent congnoistre les façons et couplés des lais, la maniere des balades, chançons et rondeaulx en pluseurs et diverses manieres; quelz lettres sont les voieulz, et queles les liquides et les consonans, et comment, en metrifiant, deux voieulx ensuians l'un l'autre menguent la moitié d'une silabe; queles rymes sont consonans et quelles leonimes et quelles equivoques; par quantes manieres se puent faire balades, et de quans vers, et comment elles se puent copper » (p. 267).

Etenim, ubi nonnulla verba fecit de litteris easque in vocales est partitus atque consonantes (inter quas quidem proprie consonantes a liquidis distinguendas existimat), Eustachius varias carminum species inspicere aggreditur. Imprimis autem ballatae incumbit nec non in ea benigne immoratur. Cujus novem specimina ita producit ut quodque a ceteris discrepet seu rhythmorum genere atque nexu, seu versus mensura, vel versuum ex quibus constat stropha quaeque numero, aut versibus quorum certis intervallis repetitio fieri solet, cum aut unum solum vel ambo simul repetere liceat; aliud quoque est si dedicata stropha adjungitur carmini, aliud si non; etenim animadvertendum est hac dedicatione, cujus leges praete-

riens describit, nonnisi apud regales cantus veteres usos fuisse.

Ea autem est inter omnes ballatae species difficillima quae aequivoca retrogradaque dicitur.

Quod si ad Eustachii tempora respicias, id certe miraberis quod masculinos cum femininis rhythmis apud ballatam miscendos praecipiat. Nondum quidem eos consueta nunc vice ita constanter alternandos censet, ne qua feminino femininus, seu masculino masculinus subjectus insistat (1). At, si exemplum utrumque inspicias quod proposuit, videbis femininos masculinosque rhythmos tam regulariter alternari quam apud temporis nostri carmina.

Hujusce vero modi praeceptum nusquam apud ceteros qui ante annum 1525 circiter Artes rhetoricae scripserunt, de quibus verba sum postea facturus, invenitur.

Memoria quoque dignum est ne semel quidem ab Eustachio praescribi ex tribus tantum strophis ballatam exstare, cum hoc a legente compertum teneat.

Descripta ballata, de carmine quod *virelai* appellatur fit oratio.

De servantasio nil aliud dicit, nisi carmen illud ex quinque, regalis cantus more, strophis constare, plerumque in Mariae virginis laudibus celebrandis

(1) « Et se doit on tousjours garder, en faisant balade, qui puet, que les vers ne soient pas de mesmes piez, mais doivent estre de neuf ou de dix, de sept ou de huit ou de neuf, selon ce qu'il plaist au faiseur, sans les faire tous egaulx, car la balade n'en est pas si plaisant ne de si bonne façon. »

versari, et nunc, ballatae instar, versibus repetitis frui, cum iidem apud priores omnino deficerent. Cur autem de servantasio plura non dixerit, miram excusationem attulit Eustachius : « .... pour ce que c'est ouvrage qui se porte au puis d'Amours et que nobles hommes n'ont pas acoustumé de ce faire. » Unde manifestum est poetica concilia, vulgo *puys* dicta, praecipue a plebejis ceterisque haud nobili loco natis fuisse celebrata; praeterea nobis in mentem subeat potentissimi cujusdam optimatis imperio librum ab Eustachio scriptum esse (1).

Carminis autem *virelai* dicti legibus expositis, et trium inter se dissimilium exemplorum auxilio explicatis, ad rondellum accedit; de quo nihil amplius nisi quod specimina simplicis rondelli duo, duplicis unum modo producit (2).

Ne libellus, inquit, extra modum turgeat, de pastoralibus (*pastourelles*) et de stultis cantionibus (*sottes chansons*) se taciturum denuntiat, quibus quidem

(1) Eustachius de Campis, qui ex honesto genere ortus erat, servantasios non scripsisse videtur, cum nullum hujusmodi carmen apud collecta ejus opera inveniatur.

(2) Simplicis rondelli, cui postea nomen *triolet*, hoc est schema :

1a 2*b* | 3a 1a | 4a 5*b* | 1a 2*b*.

Duplicis vero :

1a 2*b* 3a 4*b* | 5a 6*b* 1a 2*b* | 7a 8*b* 9a 10*b* 1a 2*b* 3a 4*b*.

Alia hujusce carminis figura inter collecta Eustachii opera invenitur, de qua in *Arte dictandi* nulla fit mentio, quam quidem figuram, cum quarti decimi saeculi peculiaris sit, rarissimeque postea usurpata, scriptores Artium infra descriptarum silentio praetermiserunt (Cf. G. Raynaud, *Rondeaux et autres poésies du quinzième siècle*, p. XXXIX. — Société des anciens textes français).

omnibus, si non idem argumentum, species certe eadem est quae ballatis quibus res est de amore.

Ultimo loco leges producit carminis *lai* dicti, « qui est une chose longue et malaisee a faire et a trouver. »

DES RITHMES ET COMMENT SE DOIVENT FAIRE

Ex quodam Jacobi Magni libro.

Jacobus Magnus famae illustrioris non est omnino expers, imprimis optimi ab Alfredo Coville editi libri gratia, cui titulus inscribitur : *De Jacobi Magni vita atque operibus* (1). Circiter medio quarto decimo saeculo natus, Tolosae, uti verisimile est, circa annum 1425 mortuus est. Ordinem fratrum Heremitarum S. Augustini professus est. Apud Parisiensem, dein apud Paduanam universitatem discipulus scholis interfuit; in hac postea magister ipse scholas habuit. Primum autem ad rem publicam accedere visus est anno 1405, cum orationes illas duas habuit, unam praesente regina Isabella, cui palam stupra exprobrare ausus est, alteram praesente Carolo VI°, cui plebis miserias atque perditos aulicorum mores denuntiavit. Postea omni studio in rebus publicis versatus est. Post ducis Aurelianensis caedem, Armaniacensium causae adhaesit, a quibus in Angliam legatus est, anno 1412, ut ab Henrico rege foedissimum auxilium peteret.

(1) Parisius, 1889, in-8°.

Inde apud principes in magno honore permansit et gravissimis factionis auctoribus semper adnumeratus est (1).

Plurima opera reliquit, quorum pleraque nondum edita. In Covilli libro enumerantur. Praestantissimum est *Sophologium*, desinente quarto decimo saeculo scriptum, excerptumque « ex dictis poetarum precipue ». Hujus libri « intentio est inducere legentium animos ad amorem sapientie. Dividitur autem liber presens in tres libros partiales : primus est de amore sapientie, secundus de amore virtutum, tercius de institutione statuum. »

Sophologium Jacobus ipse mox gallico sermone transtulit. « Non tamen verbo ad verbum integram sententiarum seriem reddidit; multa enim omissa sunt, multa rursus addita (2). »

Opus sic renovatum in duas partes dividitur, quarum alteri *Archiloge Sophie*, alteri *Livre de Bonnes Meurs* titulus inscribitur.

Archilogus Sophiae, sicut videtur, ante annum 1405 scriptus fuit, cum sit dedicatus : « a trés noble prince, trés puissant redoubté seigneur, Loys, fils de roy de France, duc d'Orleans. » Etenim haud verisimile apparet, quod multi jam animadverterunt, a Jacobo prologum fuisse scriptum, jam confecta oratione illa in qua, die Ascensionis Domini, anno 1405, eumdem ducem tam violenter vituperare ausus est.

(1) Cf. Coville, p. 3 et sqq.
(2) Coville, p. 62 et 63.

Utcumque res se habet, cum ducem Aurelianensem anno 1407, VIII kalendas decembris, trucidatum esse compertum sit, quis est qui dubitet quin ante hanc diem Archilogus Sophiae exstiterit?

Priora operis sui verba a Jacobo, cum transferret, mutata esse jam asserui, quod de hoc praesertim libro dici potest in quo de septem liberalibus artibus agitur; ibi enim multa reperias addita; capitulo etiam de Rhetorica novum accessit capitulum *De Rhythmis et quibus ex legibus sint constituendi*, in quo peculiariter de versificatione loquitur, quam sicut unum ex rhetoricae ornatibus habet, eamque tanti momenti existimat ut ei separatim studeat : « Rime puet estre nombree entre les couleurs de rhetorique; toutefois je l'ay separee, comme celle qui requiert plus grande exposicion, car rimes se font en plusieurs et diverses manieres. »

Non autem vere poeta fuit Jacobus Magnus, qui versibus nihil aliud composuerit quam prologum et titulos qui Archilogi Sophiae capitulis inscribuntur. De versificatione etiam quid ipse opinetur incertus, aliorum opinioni insistit. Quo major illi fides adhibenda est, namque, ubi inter se discrepant sententiae, illam accipit cui plurimi assentiuntur. Si vero alicubi duas sententias inter se repugnantes de elidenda feminina *e* tradit, postea, quanti pretii sit nobis dissensionem hanc novisse videbimus.

Sed jam hoc Archilogi capitulum quod ad propositum attinet sum repetiturus.

Orationi solutae, inquit Jacobus, rhythmus ita non

magis repugnat quam versibus, ut contra oblectamentum quoddam adjiciat, ut puta : « Tu es celluy a qui je doi fere plais*ir;* tu es ma joie, mon cuer et mon des*ir;* en tous cas je te vouldroye serv*ir*, et si suys prest, come raison le veult, de tousjours toy obe*ir*. »

Nullus vero alius rhetoricae artis scriptor de rhythmo apud solutam orationem disseruit, cum paucissimi media quidem aetate hoc scribendi genere usi sint, et perpauca supersint ejus specimina.

Versus autem hoc tantum, si Jacobo assentiamur, a soluta oratione discrepant quod certus syllabarum numerus iis imponatur. Qui numerus tantus est quantum rhythmos componenti libet esse, sed pluribus quam duodecim uti non licet, « car plus grant nombre oteroit au vers sa façon et sa prononciation. »

Quae scripserit de *e* feminina elidenda, cum extrema in verbo ea littera cadat vocalemque offendat quae insequentis verbi initio occurrit, peculiariter notandum est. Apud enim vetustiores gallicos poetas, saltem ab undecimo saeculo desinente, *e* feminina in verbo extrema sicut apud nostros elidebatur. Pauci tamen elidere eam simul ac non elidere consueverunt. Quod nonnulli explicare tentaverunt. Hoffmann (in annotatione versus 1223 poematis *Jourdain de Blaives*), Mall (in prooemio *Computi* Philippi de Thaon) rectum habent quotiens apud carmina ab ipsis edita littera illa non eliditur, idque non alias fieri sentiunt nisi cum *e* duas consonantes, videlicet « mutam cum liquida », praecedit. Cum vero in plurimis locis *e* fe-

minima in polysyllabis extrema prae vocali insequens verbum incipiente conservetur, nemo adhuc qua de lege ita elisio non fieri soleat discernere potuit. Ut exemplis utar, hoc consuetum videmus in poemate cui titulus *Jouffroy*, in *Isopetto Lugdunensi*, in *Bruto Monacensi*, in Chronica Philippi Muschetti et in aliis plurimis carminibus (1).

Illa autem quae Jacobus Magnus de elisione, ut supra vidimus, scripsit, nondum palam erant. Quae si novissent, forsan majore prudentia usi essent editores illi qui ut scribarum errores (sicut ea existimabant) corrigerent operam dederunt, atque hiatum inter *e* femininam in verbo extremam atque vocalem verbum incipientem sustulerunt. Hi quoque operae ac tempori pepercissent qui, hiatum scriptoris ipsius opus esse rati, quando et quomodo fieret requisierunt. Etenim Jacobus planissime dixit, quamvis plerique elisionem necessitudine imponi censeant, licere tamen ut ea abstineas, ubi versus numerus hiatum expetat. « Tu dois savoir que quant deux voyeulx s'entre ensuivent, tu pues deux sillabes tant seulement compter pour une, car le derrenier voyeul comprent le premier, et ainsi deux sillabes tant seulement se comptent pour une. Exemple : *dame est bonne*, la derreniere sillabe de *dame* se prononce avec *est* et ne font que une sillabe. Toutefois il est en toy de les compter pour deux sillabes, si tu veulx,

(1) Cf. A. Tobler, *Le vers français et moderne*, a G. Paris translatum, p. 71.

mais lors au prononcier on doit faire point entre l'une et l'autre, nonobstant l'opinion plus commune, si est que les deux voieulx et les deux sillabes dessusdicts ne se doivent compter que pour une ; mais on doibt mettre un petit point dessoubz le premier voieul, en signifiant qu'il ne se doit point prononcier, nonobstant qui le escripve. »

Item cum de hoc agitur, quot syllabas versus capere possit, Jacobus scribit : « Dient les rymeurs et versifieurs françois que ceste sillabe femenine ne se compte point quant elle advient a la fin du milieu d'un baston, mais en toutes aultres places elle se doit compter, se ce n'estoit que voieul viengne après elle, et lors les deux ne se doivent compter que pour une, comme il est dessus dit. »

Compertum est a plerisque veteribus poetis mutam syllabam prius versus colum finientem nunquam numerari, etiamsi alterius coli initio consonans insistat :

Li empered*re* | se fait e balz et liez (*Roland*).

Usum hunc usque ad finem quinti decimi saeculi videmus exstitisse (1). Ea autem quam praescripsit Jacobus lex ad cuncta non est integre apta. Primo quidem hac soli illi versus tenentur in quibus caesura est, qui sunt decasyllabi atque dodecasyllabi. Dein, apud lyrica carmina, insona syllaba, quacum prius decasyllabi dimidium desinit, saepissime nu-

(1) Tobler, *loc. cit.*, p. 109.

merabatur, si non elisa fuerat (1). Quapropter recentiores grammatici hujus versus caesuram *lyricam*, versus autem ubi insona syllaba praetermittitur, caesuram *epicam* appellaverunt.

Antequam Faber commentationem de qua infra dicturus sum edidit, nullus ex iis qui de arte rhetorica scripserunt versus divisionem in duas partes explicavit, neque ullus, praeter Jacobum Magnum, syllabam insonam in prioris hemistichii fine praetermitti posse docuit, quanquam omnes notaverunt eamdem nunquam in fine versuum supputandam, quo fit ut feminini versus una syllaba divitiores sint masculinis. Cur autem talia illi omiserint, haec sine dubio causa est quod et de lyrica potius versificatione disserere et eam syllabam in suis ipsorum carminibus numerare solebant (2).

Quod ad rhythmum attinet, tres leges tradit Jacobus:

« La premiere regle si est que bonne rime a tout le moins requiert que les dernieres sillabes soient semblables ou semblablement terminees.

» La seconde regle si est que les rimes de tant sont meilleures que les dictions finables s'entre res-

(1) Vos jouettes font deux fosses toudis
En soubzriant, o belle plus que belle.

(Ex Eustachii ballata, quae incipit : De jour en jour vo beauté renouvelle.)

(2) In quadam ballata ab Eustachio apud suam *Artem Dictandi*, exempli gratia, relata, quanquam ultima cujusque prioris membri aliorum versuum syllaba, etiam si muta, locum semper tenet, in versu tamen qui gallice *refrain* dicitur numerum non obtinet (Preux Charlemaigne, se tu fusses en France), unde opinor aut verbum *preux* mendum esse, aut versum illum ex quodam epico carmine excerptum.

semblent plus, et pour tant dit l'on que la meilleure rime qui soit c'est par equivoques.

» La tierce regle si est que a faire rime magistrale et parfaite, il est de necessité que les dernieres sillabes soient tout un, et oultre plus que les penultiemes soient finees et fondees en semblable voieul. »

Hoc tamen ultimum praeceptum duas exceptiones patitur : « Quant la derreniere sillabe fait une diccion toute seule, lors en tel cas il souffist que les derrenieres sillabes soient tout un. Telles sont les diccions comme *gent* pour gentil et *gent* pour hommes. Outre plus dient aucuns que quant les derrenieres sillabes ont plus de deux lettres, comme III ou IIII, il souffist qu'elles soient toutes un sans avoir regart aux penultiemes, et pour tant c'est bien rimé en *appris*, *repris*, *entrepris*, pour tant que les derrenieres sillabes sont IIII lettres, comme il appert. »

Illae tres leges iis respondent quae scriptores alii de tribus praecipuis rhythmorum generibus dixerunt, videlicet aequivocorum, leoninorum et communium.

Expositis autem rhythmorum legibus, Jacobus ad formas quorumdam carminum accedit, scilicet rondelli simplicis, rondelli duplicis, ballatae, servantasii, et poematiorum quae gallice *virelai* et *lai* dicuntur.

Rondelli nomen ita explicatur : « Rondeaux vont en rondelant et en respondant baston a autre, et pour tant sont ils ainsi nommez. »

Eadem Jacobus de rondellis docet atque Eustachius ; itaque eo tantum referenda nihi videntur quae de rondello duplice scripsit quod haec Coville omisit.

« Oultre plus, tu doiz sçavoir que aucuns rondeaulx sont doubles, lesquelz se font ne plus ne moins de la faczon dessusdicte, excepté que l'en double les bastons en faisant deux pour ung. »

Deinde aliud carminis genus attingit, quod etiam « *rondeau* » appellat; hoc vero nomen non dubium mihi videtur quin mendum scripturae sit, ejusque in locum verbum « *virelai* » substituere oporteat. Ceterum haec sunt ipsa Jacobi verba : « Oultre plus aucuns ditz sont appellez rondeaulx, lesquelz se font de diverses manieres, toutesfois, a mon advis, la commune façon si est de fere ung vers a pluseurs couples, et puis fere deux vers fondez sur les rymes du premier ver, lesquelz deux vers, qui veult, pevent estre de pluseurs couples, et puis après on doit fere ung vers semblable au premier et finablement le premier se doit recorder, et ainsi tousjours on doit proceder. »

Quae quidem praecepta iis minime consonant quae scripsit Eustachius de eodem carminis genere, sed animadvertendum est pleraque hujus poetae carmina quibus titulus *virelai* inscribitur ipsa repugnare praeceptis ab eo in sua Arte dictandi expositis. Jacobus contra cum scriptore codicis Bib. Nat. *Nov. Acq.* 4237 consentit.

Ballatarum plura sunt genera; vulgatissimum autem ex tribus strophis efficitur, quarum quaeque eumdem ultimum versum habet; prima stropha aperta dicitur, secunda clausa, tertia excurrens (*oultre-passe*).

Servantasios fingenti nihil aliud praescribitur nisi

ut omnes strophas versuum mensura, numero rhythmisque pares faciat.

Carmen autem quod *lai* nominant qui vult condere, necesse est ut breviores versus longioribus intermisceat et ultimam stropham primae simillimam habeat; interjectae vero strophae non in unum rhythmum exire solent.

Plures tamen durioresque erant hujus carminis leges quam aestimavit Jacobus. Ceterum saepius accidit ut praecepta quae ipse exponat male noverit; ita ut, si non falsa sint ab eo dicta, inchoata tamen et, ut ita dicam, manca doctrina ejus esse videatur.

Praeceptum nunquam exemplis illustravit; haec quidem non semel promittuntur, sed intervalla ubi interscriberentur in codicibus nequicquam servata sunt.

RÈGLES DE LA SECONDE RHÉTORIQUE

Auctore incerto.

In codice manu scripto Bibl. Nat., *Nov. Acq. 4237*, adservatur quaedam Ars Rhetoricae rhythmicae, cui tituli loco inscriptum est : « *Les regles de la seconde Rethorique, c'est assavoir des choses rimees, lesquelles sont de plusieurs tailles et de plusieurs fachons, sy comme lais, chans royaux, diz, serventois, amoureuses, balades, rondeaux, virelais, rot[r]uenges, sotes chansons et plusieurs autres choses descendans de la seconde retthorique. Et est dicte seconde rethorique pour cause que la premiere est prosayque, et affin que quiconques voulra soy introduire a faire aucuns diz ou balades, il convient que on les face selon ce que donnerent les premiers rhetoriques, dont aucuns s'ensuyvent.* »

Quem codicem, cum docti viri Monmerqué esset, notum fecit Paulinus Paris (1), et postea Firminus Didot, qui eum accuratius descripsit (2).

(1) *Manuscrits françois*, t. V, p. 48; *Histoire littéraire*, t. XX, p. 774.

(2) Catalogue de la bibliothèque F. Didot, p. 33 et seq.

Cujusnam auctoris libellus ille sit, latet; quonam vero tempore scriptus fuerit, cum litteras quinti decimi saeculi promptius cognitas habebimus, tunc ex nominibus poetarum aequalium in hac Arte commemoratorum discemus; quorum nominum, nunc omnino ignotorum, ne ullum quidem usquam prolatum reperi. Spes vero mihi est fore ut quis aliquando illorum poetarum carmina, quae sunt, ut conjectura auguror, parvi pretii, in lucem e tenebris eruta evocet; unde qua aetate vixerit Artis scriptor compertum fiat. Cum tamen Eustachius de Campis, qui etiam anno 1404 vivebat, et Johannes Froissardus, qui anno 1411 obiit, mortui jam in libello dicantur, hunc inde constat non ante annum 1411 scriptum fuisse. Minime vero recte conclusit F. Didot cum scripsit : « Froissart mort vers 1410 étant mentionné le dernier des écrivains du passé, et, d'un autre côté, des poètes lyriques tels que Christine de Pisan, Alain Chartier et Charles d'Orléans ne s'y trouvant pas cités, quoique presque contemporains du précédent, il nous semble qu'il faut en conclure que la rédaction de notre volume ne peut pas être postérieure à 1415 environ. » Si enim diligenter perspicias, anno 1425 vel 1430, carmina Alani Aurigae et Caroli ducis Aurelianensis non ita pervulgata erant ut haec aetas potius quam annus 1415 *terminus ad quem* haberi nequiret. Immo fieri potuit ut qui Artem scripsit, etiam si tempore vixerit quo illi viguerint, eos tamen aut non noverit, aut non praestantiores popularibus suis quos laudavit aestimaverit; idque

mihi eo probabilius videtur quod nec Christinae de Pisano quidem, quae ad summam gloriam circa annos 1405-1410 pervenit, scilicet antequam Froissardus decessisset, in Arte nomen reperires. Scriptorem in Picardia vitam egisse poetasque hujus regionis aut solos novisse aut certe majoris momenti quam ceteros fecisse, nominibus ab ipso allegatis plane demonstratur. Cautus igitur esse videtur si quis tempus quo libellus ejus scriptus fuerit pro certo non habeat ante quam alia rei indicia reperta fuerint.

Hi sunt poetae in principio operis commemorati :

« Maistre Guillaume de Saint Amour, lequel ou parvis de Paris fist destruire Heresie, Ypocrisie, et Papelardie, la mere de Faulx-Semblant, et en après, en l'onneur de Nostre Dame, mist les figures de la Bible et les appliqua a la vierge Marie, et en fist un dit de vers croisiez, qui se commence ainsi :

Roïne de pité, Marie,
En qui deyté pure et clere
A mortalité se marie (1).

Et fut le premier qui traitta de la nouvelle science.

Aprez icelluy vint maistre Guillaume de Lorris, lequel commencha le Rommant de la Rose et en fist jusques a ce que Jalousie feïst mettre Bel Acueil em prison.

(1) Hoc poema, quod saepius inscribitur : *Les IX joies Nostre Dame*, aut : *Li diz des proprietez Nostre Dame*, non Willelmi de Sancto Amore sed Rustebodi est (Cf. II^{am} editionem operum Rustebodi a Jubinale curatam, vol. II, p. 152).

Aprez vint maistre Jehan de Meun, lequel parfist ycellui Rommant de la Rose; et plusieurs aultres livres de moult noble doctrine, sy comme Boece, le livre de son Testament, et plusieurs aultres.

Aprez vint Philippe de Vitry, qui trouva la maniere des motés et des balades et des lais et des simples rondeaux, et en la musique trouva les IIII prolacions et les notes rouges, et la nouveleté des proporcions.

Après vint maistre Guillaume de Machault, le grant retthorique de nouvelle fourme, qui commencha toutes tailles nouvelles et les parfais lays d'amours.

Ou temps du dit Machault fut Brisebarre de Douay, qui fist le livre de l'Escolle de foy et le Tresor Nostre Dame, et si fist le Serventoys de

S'Amours n'estoit plus poissant que Nature,
No foy seroit legiere a condempner.

Et plusieurs aultres bons, qui bien font a recommander et a prisier, car ses fais furent bons, et n'estoit point clers, ne ne savoit lire n'escripre.

Aprez vint Jehan Lissans draps (1) de Douay, lequel fut en son temps tenu pour si bon ouvrier que d'estre reputez philosophe en sotie.

Aprez vint Jaquemart le Cuvelier de Tournay, qui fut faiseur du roy de France, Charles le quint.

Aprez vint Hanequin d'Odenarde, faiseur du compte de Flandres.

(1) Haec verba ambigua sunt, ut quae significare possint seu panni politorem, seu hominem vestibus carentem.

Aprez vint maistre Jehan Vaillant, lequel tenoit a Paris escolle de musique.

Aprez furent et sont plusieurs aultres, et par especial maistre Jehan le Fevre de Paris, lequel fist Matheologue et le livre du Respit de mort, et [a] translaté le livre qui est d'Ovide, qui se nomme *de Vetula*, et moult d'aultres choses, et pour les bonnes meni[er]es qui furent en li est presentement appelez poetez.

Aprez vint Eustace Morel, nepveux de maistre Guillaume de Machault, lequel fut bailli de Senliz, et fut trés souffisant de diz et balades et d'aultres choses.

Moult furent d'aultres bons ouvriers, par especial messire Jehan Froissart, curé de Lestines en Haynault, mais il fist tous ses fais a l'onneur de la partie d'Engleterre.

Aprez sont de present Colinet l'Alexis, Hanequin le Fevre, Jaquet d'Orliens, Marc d'Or, Olivet Tapissier, messire Nicole Roussel, Charlot Falne, Raol de Brecy de Mons, maistre Jehan de Suzay et plusieurs aultres qui enssuient les regles telles que nous mettrons en nostre traitié.

Huic prooemio additi sunt indices qui circiter 230 dictiones optime inter se consonantes continent (*moz lenoninés* (sic) *et plains sonans et esquivoques et presonans*).

Deinde adnumerantur « omnes carminum species », quae sunt : *lai*, *virelai*, rondellus, cantus regalis, cantio amatoria (*amoureuse*), servantasius, rhythmus

alexandrinus, duodeni versus (*douzains*), rhythmus duplex (*rime doublette*), stulta ballata (*sotte ballade*).

Poematis *lai* nominati figura jam paululum differt ab ea quam Eustachius descripsit; hic enim unamquamque duodecim stropharum in duas partes similes, ille in quattuor dividit.

Quot strophas *virelai* habere oporteat scriptor silentio praeteriit, sed exemplum praeceptis ab eo additum e quattuor strophis, secundum leges a Jacobo Magno traditas, constat; quarum ultima primam proxime imitatur, interpositae vero, quas et Eustachius et Jacobus iisdem rhythmis atque ceteras ornari jubent, iis non jam respondent.

Rondelli simplicis praecepta in perpauca verba coacta sunt et exemplo uno illustrata. Quod vero deinde de rondello duplice et de rondellis cantandis dictum est, nihil in eo est quod aut definitum aut certum habeamus.

De cantu regali haec digna sunt quae referantur : « Chans royaux pour porter aux puis de Nostre Dame, en la ville de Dieppe sur la mer, et non ailleurs, sont de 5 couplés et le prince, qui est appellez l'envoy, et est de 11 lignes, chascune ligne de 10 silabes ou masculin et de 11 ou feminin, et doit estre a ceste exemple. » Exemplum est Colinetti Brunetti cantus regalis *de Milvo*, gallice *L'Escouffle*, qui in concilio recitatus palmam tulit.

Si Eustachio credas, quaeque cantus regalis stropha e decem, undecim vel duodecim versibus constare debet, si vero hujus libelli scriptori, duodecim nec plus minusve versus habere. Ac, ne dubites quin

numerus ille sit firmus, scriptor haec « magistri » verba refert :

> Qui au chant royal s'amesure,
> Point ne li fault d'aultre mesure.

Quod distichon, cum neutrius Artium versibus scriptarum sit quae ad nos pervenerunt et de quibus postea dicturus sum, aliam exstitisse, nunc amissam, qua auctor noster usus est, declarat. Utrum vero haec omnium rhythmorum Ars universa fuerit an peculiare tantum ludorum Dieppensium praeceptum, judicandi copia mihi deest. Utcumque est, hoc non parvi pretii monumentum in bibliothecis publicis frustra perquisivi.

Eadem forma est servantasii, cantionis amatoriae et cantionis stultae atque cantus regalis; pastoralis etiam ab illis generibus hoc tantum differt quod quisque versus non ex decem sed octo syllabis constat. Cantio quaedam amatoria, quae a quodam B. composita, Abbatisvillae praemio donata est, pro exemplo habetur.

Praeceptum deinde datum, quo penultimum cujusque strophae in servantasio versum masculinum esse oportere dicit scriptor, ultimum vero femininum, cum ab eo discrepet specimine quod attulit Baldettus Herenc et alii multi, falsum ideo mihi esse videtur; verisimile est igitur auctorem nostrum nonnullos servantasios vidisse in quibus penultimus stropharum versus masculinus erat, ultimus vero femininus, et ex eo persuasum habuisse hanc veram esse normam.

Alexandrinorum autem versuum exemplum proponit initium epici poematis de Bertrando du Guesclin, auctore Cuvelier, additque ex alexandrinis quaternis carmina fieri posse, qualia sunt Testamentum Johannis de Meun, Vita Florentii Romani, Vita sancti Alexidis.

Sequuntur tria poemata quae gallice *douzains* dicta sunt, quia eorum quaeque stropha ex duodenis versibus constat. In primo ex illis carminibus, qui inscribitur *La Tour amoureuse*, rhythmorum contextus sic figurari potest :

aab aab bba bba.

Secundi, cui titulus *Le Temps Pascheour*, schema hoc est :

aaab aaab aaab.

Cujus schematis si versum littera *b* expressum breviorem ceteris facias, tertiam speciem, ad planctus amatorios et magnos *lais* aptam, habebis (1).

Ut autem exempla habeamus rhythmi duplicis, ex quo omnia carminum genera et imprimis comoediae (2) effici possunt, memoratur Romancium de Rosa, totumque profertur poematium quoddam de Urtica (*Dict de l'Ortie*).

Stulta ballata, cujus exemplum datur, non leges, nihilo nisi materia ab aliis ballatis distat.

(1) « Et est pour complaintes amoureuses ou grans lays. »
(2) « Toutes manieres de farsses et tous aultres diz communement. »

Sed hic liber, cum aliqua ratione inceptus sit et hucusque digestus, hinc jam sine ulla lege peragitur. Etenim scriptor, postquam quinque et viginti virorum et mulierum illustrium res gestas ab Adamo, « qui podagrae doloribus consumptus est, » usque ad Pyramum et Thisben memoravit, tria praecepta, quae ante omnia observanda arbitratur, tradit, scilicet ut conclusio operis principio semper congruat; ne quis de iis quae ignoret loquatur; ne quod vocabulum in fine versuum sibi ipsum respondeat.

Quasdam dictiones quae in syllabam *on* seu *ion* exeunt quasque ipse *vocables obscurs*, *mos couvers*, *poetiques ou aultres* vocat, nos vero « *savants* » dicimus, proponit; quasdam autem aliter desinentes, ut *symbole*, *utile*, *utilité*, interpretatur. Quibus ex verbis non minimum fructum licet lexicographus capiat.

Inde revocamur ad diversa poesis genera, cum de his strictim agatur quae gallice nominantur : *ballades tumbans*, *doubles croisees en balladant*, *fatras*, *virelais*, *motets esquartellés*, *motets imparfaits*, *rotruenges esquartellés*, *rondeau d'une syllabe*, *arbalestriere royale*, *audengieres*, *ballades en sottie*.

Iterum acta illustrium antiquitatis profanae vel sacrae virorum mulierumque referuntur.

Sequitur index qui complura millia vocabulorum inter se consonantium continet, quorum permulta in nullo invenias glossario.

Deinde explanatis tribus nominibus in poesi usitatis (*la declaration de* III *noms en poetrie*), scilicet Atropo, Proserpina, Mercurio, ad poematum species

rursus reducimur,. quae sunt : *taille plainiere laie balladant; rondeau; taille a volonté pour dits, romans et oraisons; double rondel demi lai; ballade laye; ballade en trois manieres.*

Si autem quaedam ex istis nominibus obscuriora vis explanari, verbis *taille plainiere laie balladant* nihil aliud significatur nisi forma integra carminis in quo ultima syllaba singulorum versuum consonat cum ultima sequentis hemistichii (1). Eadem forma est quae a posteris *batelée* dicetur; nomen vero ei ab auctore inscriptum sic, nisi fallor, intellegi potest. Poema *laié* vel *lai* a majoribus dicebatur si longioribus versibus breviores inserti erant, adjectivaque his opposita erant *plein*, *pleinier*. Praedictam vero formam et *plainiere* et *laie* dixit quia, si ejus versus omnes aequi sunt, hemistichia rursus, cum inter se consonent, idem valent ac versiculi. *Balladant* etiam addidit, quia versus ad ballatae normam procedunt; nisi forte hujus verbi loco *batelant* legendum sit.

Formae ad romancia vel orationes aptae hoc schema est :

aaab bbbc cccd...,

in quo quartus, octavus, duodecimus versus ceteris breviores sunt.

(1) Jeune, joyeux, gaillart, friqué, *joly*,
Gay et *poly*, plain d'amoureux *espoir*,
Et main et *soir*...

Ballata tergemina (*a trois manieres*) dicitur ea quae sensu sibi non constat, prout prius tantum cujusque versus hemistichium legitur, aut alterum, aut totus versus. Exemplum Petri de Compendio relatum est (1).

Stulta cantio Walteri dicti Maqueau Duacensis est, rhythmoque et propemodum sensu caret (2).

Codicem denique complent tria poemata, olim pervagatissima, videlicet illud Johannis Chapuis cui tituli modo *Des VII articles de la Foi*, modo *Le Livre de Trinité*, vel alii etiam inscribuntur; *Codicillus* Johannis de Meun et *Hospitale Amoris*, auctore Alano Auriga.

(1) Bien doit amant, qui vuet Amours servir,
Joyeusement, par maniere ordonnee,
Au temps plaisant, avoir doulz souvenir,
Vray sentement, faut qu'il ait, c'est l'entree,
Tenir en soy largesce et courtoisie...

(2) S'on ne me puet ou de taille ou d'estoc
Mettre a exsil tout ainsy eüreux,
Je suiz d'amours, com chilz qui sa paste a
Toute pestrie, et puiz si chiet ly fours,
Car j'aime, et point je ne l'y puiz celer,
Chascun le scet en trestoute no rue;
Or escoutez le grant eür de my :
Devant er soir, ma dame alay veoir,
Maiz aussi tost qu'elle me vist venir,
Elle me dist : retourne, va ta voie...

DOCTRINAL DE LA SECONDE RHÉTORIQUE

Auctore Baldetto Herenc.

Baldetti Herenc libellus, nondum typis mandatus, invenitur in codice Vaticano *Reg.* 1468. Hunc codicem, saeculi quinti decimi, jam ab eruditissimis viris Renan et Darembert laudatum (1), ego quoque descripsi in libro dicto *Notices et Extraits des manuscrits français et provençaux de Rome*, p. 155 (2). Liber ipse compositus est anno 1432. Baldettus Herenc, qui eum scripsit, quemque Renan et Darembert appellarunt Raoulet Tercut, in ratione quadam scripta anno 1450 nominatur; quippe qui hoc ipso anno aliquantum pecuniae a duce Aurelianensi, Matiscone in itinere morato, propter ballatas recitatas acceperit.

Ex vocabulorum indicibus qui libro adjunguntur, et de quibus postea pauca dicam, apparet Baldettum cognovisse imprimis Burgundiam et Flandriam. In ratione autem supra memorata, dicitur natus

(1) *Archives des missions*, I, 267.

(2) *Notices et Extraits des manuscrits de la Bibliothèque nationale*, t. XXXIII, 2e partie.

« *a Chalon,* » videlicet, ut opinor, Cabilloni (*Châlon-sur-Saône*); sine dubio iter fecit per Flandriam, quippe qui noverit in hac regione monumenta et loca minimi momenti, scilicet turrim « *d'Ordre* », castellum « *de Mouquoy* », et « *de Cohem* ». urbes « *le Crotoy*, *Hem*, *Pas* in Artesio »; « *Mons en Bareul*, qui est ung vilaige près de Lille en Flandres », et vernacula verba ut « kuque, qui est gastel en Flandres; kuquelins, qui sont petites rondes gauffrettes en Picardie; faille, que les femmes portent en Flandres (1). »

Igitur suspicari licet Baldettum in septentrionales regiones venisse ut palmam posceret in poeticis conciliis; etenim quod poematum genus in his conciliis admissum fuerit nobis dicet, atque etiam exempla afferet. Forsitan haud temere dixeris eum in numero poetarum fuisse qui apud ducem Burgundiae erant.

Huic libro inscribitur : « *Doctrinal de la Secunde Retorique, fait par Bauldet Herenc, l'an de grace mil quatre cens trente et deux.* »

Initio libri auctor disposuit « Ung ABC sur les v voyeulx, pour aprendre a espelir en la dite Secunde Rethorique, » scilicet seriem quamdam 2700 verborum, incipientium a *ba, be, bi, bo, bu ; ca, ce, ci, co, cu*, et litterarum ordine dispositorum. Manifestum quidem est Baldettum, hanc seriem instituendo, monstrare voluisse quomodo illa verba scribenda essent, verum etiam haud intellego quam ob causam

(1) Quo apparet id vestimenti genus non invectum esse, ut vulgo creditur, ab Hispanis.

verbis contentus fuerit ita incipientibus ut vocalis littera insequatur consonantem. Quidquid id est, haec series nobis est magni pretii : plurima enim verba continet a lexicographis, etiam a Godefroy adhuc omissa. Nonnullorum ex his vocabulis sensus explanatur (1).

Priorem illam seriem altera sequitur multo longior, justioremque obtinens locum in Arte Rhetoricae rhythmicae. Quae series constat ex « *mots leonins*, *plains sonnans*, *equivoques et personans*, » litterarum

(1) Haec sunt aliquot exempla :
Bisse, qui est beste.
Bibelos, qui sunt choses d'estain en mercerie.
Bievre, qui est une beste.
Bourras, de quo (*sic*) les orfevres fendent.
Bombarde, de menestrer.
Camelot, qui est drap de soye.
Cenoulle, qui est herbe.
Coffin, a mettre vires d'arbalestre.
Esquedon, qu'on alume devant le feu par un fusil.
Gesse, roy de Surie.
Goulx, qui est beste ; et, en France, s'appelle ung loir.
Harcelles, qui sont osiere en France.
Junbarbe, qui est herbe froide.
Joute, qui est poree en France.
Kalendrier, qui est drap de soye.
Kin, est roy en anglais.
Lardonche, qui est oisel.
Loutres, qui sont leurres en Bourgoingne, dont on fait des fourrures.
Pantere, qui est ung mal que les oyseaulx de proie prengnent.
Pantere, a prendre oyseaulx de nuyt sur la riviere.
Rustres, d'Allemaigne.
Terc, qui est ung oingnement noir a oindre brebis rongneuses.
Toute bonne, qui est herbe.
Etc.

ordine dispositis ; habet autem sex millia vocabulorum et concluditur paucis iisdemque subobscuris verbis de litteris *y* et *z*, quae ad orthographiam pertinent.

Animadvertendum est primum hanc seriem iisdem verbis designatam esse ab auctore quibus alia quae in codice 4237 continetur, quamque supra memoravi ; priorem autem seriem apud Baldettum Herenc iisdem quoque verbis designatam esse quibus ille designatur index vocabulorum similiter desinentium qui in libello codicis ejusdem servatur. Cujus indicis pleraque vocabula iterum inveniuntur in serie Baldetti Herenc, in qua prudentius distributa sunt. Ex quo infero non Baldetti vestigiis auctorem libelli manu scripti institisse, quippe cui nulla esset causa cur ordinem vocabulorum certum et rationi congruentem mutaret inque ejus locum ordinem omnino incertum institueret. Res vero potius e contrario evenit ; quod tamen haud affirmare ausim, cum credere liceat utrumque auctorem ex uno eodemque exemplari hausisse.

Neglectis autem rhythmis eorumque vario usu, Baldettus singula carminum genera considerat, eaque hoc ordine disponit : *lai*, *amoureuse*, *serventois*, *chant royal*, *sotte amoureuse*, *pastourelle*, *ballade*, *rondeau*, *fatras*, *douzain*, *doublettes*, *alexandrin*.

Carminis gallice *lai* dicti regula eadem est atque in codice 4237.

Cantionis amatoriae non leges sed exemplar Baldettus affert, quod constat ex quinque strophis, quae

habent undenos versus, ex denis syllabis coagmentatos. Sequuntur quinque versus, qui vocantur « *envoi* », id est dedicatio ad principem concilii. Quod spectat ad rhythmos, unaquaeque stropharum eodem modo sic terminatur : *ababccddede;* et ea pars quae dicitur « *envoi* » haud aliter terminatur ac quinque ultimi strophae versus : *ddede.*

Huic simile est carmen ejusdem nominis in Arte codicis 4237 relatum ; verumenimvero rhythmi paulo aliter dispositi sunt : *ababbccdede*, et illa pars quae est dedicatio (*envoi*) quattuor tantum versus habet : *dede.* Neuter vero scriptorum hoc declarat, et qua ratione rhythmi inter se connectendi sint, et quot ex versibus dedicatio constare debeat.

Servantasii figuram nusquam describit Baldettus, sed tantummodo affirmat hoc ita appellatum esse « parce qu'il doit estre servant devant et derriere a une amoureuse. » Specimen vero ab eo allatum non solum ad cantionem amatoriam, de qua supra diximus, strophis et versibus rhythmisque omnino respondet, sed etiam quaeque stropha servantasii primum et ultimum versum eosdem habet ac quaeque cantionis amatoriae stropha. Ita servantasius, quia primos cantionis versus repetit, eam ut servus praegreditur, quia vero ultimos, eam quoque ut servus sequitur. In cantione autem poeta amicam alloquitur, in servantasio beatam Mariam (1).

(1) *Taille d'Amoureuse :*

S'amant veult vivre en consolation
Et acquerir des biens grande habundance,

Hunc servantasium recitabant in ludis in Insula Flandriae proxima die dominica ante Assumptionem Beatae Mariae habitis.

Quae pauca Eustachius de servantasio tradidit minime abhorrent a Baldetti praeceptis; amatoriam vero omisit Eustachius.

Exempla et cantus regalis quem audire solebant Normanni in Dieppensi concilio, et « amatoriae stultae » quae Ambianis, kalendis januarii, recitabatur, et pastoralis Bethuniensis eamdem figuram praebent

Il serve Amours en vraie entention,
Car c'est celuy qui ses subjectz avance,
Tant est large, puissante et honorable,
Et qu'il soit vray par sa vertu loable,
Son serviteur de touz vices absente,
Puis le conduit en la joieuse sente
De Doulx Regard, ou par plaisance heureuse,
Desir luy vient qu'a damme Amour s'asente,
Ou grace maint et doulceur plantureuse.

Et puis qu'Amors par bonne affection...

Taille de Serventois servant devant et derriere a l'Amoureuse devant dicte :

S'amant veult vivre en consolation,
Il doit avoir en son cueur souvenance
Comment jadiz, par suspiration,
Saint Jehan vit ou saint ciel la semblance
D'une femme benigne et charitable,
Affublee du soleil delictable,
Qui couronne portoit de œuvre excellente,
Faicte de XII estoilles, rice et gente,
Et enfanta, par vertu glorieuse,
Ung royal filz de magesté prudente,
Ou grace avoit et doulceur plaintureuse.

Et puis qu'Amour par bonne affection...

atque cantio amatoria et servantasius; unde fit ut argumento tantum illa poemata inter se distinguantur. Pastoralis tamen quisque versus ex octo tantum syllabis constat, ut in codice 4237 praescriptum est.

Ballatarum deinde exempla proponit Baldettus « in scholarum conciliis » dicendarum, jubetque tot versus in quaque stropha esse quot syllabas in versu iterato (*refrain*). Eam vero appellat ballatam saltatoriam (*ballade balladant*) cujus quaeque stropha versus septem complectitur, versus autem quisque septem syllabas.

Sequitur primo exemplum « ballatae cujusdam ad voluntatem artificis compositae ». Duas tantum strophas comprehendit. Versuum numerus in quaque stropha non congruit cum syllabarum numero in quoque versu; dedicatio tantum duos versus habet. Deinde ballata « *layee* », ita dicta, sine dubio, quia, sicut in poemate *lai*, versus impares sunt; quae dedicatione caret. Tertio, ballata « *de court mettre* », hoc est duae strophae ex duodenis versibus fictae, qui versus habent quaternas syllabas, dedicatio vero duos tantum versus.

Rondelli exempla tantum, sine ulla explanatione, Baldettus affert, ita ut simplicia succedant duplicibus. In quibus perspicere est iteratam partem poematis (*refrain*) haud aliud esse ac priorem primi versus partem; quod quidem primum reperitur in Arte Rhetoricae.

Is est rondellus « *layé* » in quo versus minuti longioribus mixti sunt. Is autem quem sub finem li-

belli, exemplo dato, « *rondeau rondelant* » appellat, nihil differt a nostro « *triolet.* »

Carminis *fatras* dicti in Baldetti libro sunt quattuor exempla, e quibus cognoscimus hoc carmen non propter materiam, nostri quidem scriptoris sententia, sed propter figuram suo nomine donatum fuisse. Carmen quod simplex est unam tantum praebet stropham, quae est ex tredecim versibus et duobus rhythmis, tertius autem versus similis est primo, ultimus secundo. Carmen quod duplex est e duobus carminibus constat, prioris autem comperias primum et secundum versum eosdem esse atque alterius secundum et primum. Ita ut simplex sic figuretur :

1, 2, 1. . . . . 2;

duplex vero :

1, 2, 1. . . . 2 + 2, 1, 2 . . . . 1.

Hoc carmen, sive simplex sive duplex est, *possibile* dicitur aut *impossibile*; possibile autem est si potest intellegi, impossibile si non (1).

(1) *Forme de simple fatras possible.*

Vierge a qui Dieu se maria,
Pour saulver humaine nature,
Vierge a qui Dieu se maria
Et qui si digne mary a,
Qui repaira la fourfaiture
D'Adam, qui nous injuria
Tant qu'en enfer nous charia,
Je te pry, sainctė creature,

Duodenorum versuum (*douzain*) duo exempla referuntur, quae eodem modo figurari possunt quo *Turris Amatoria*, in Arte codicis 4237 laudata, scilicet : *aab aab bba bba*. In altero aequi sunt omnes versus; in altero autem versus quibus rhythmus est *b* breviores sunt.

Alexandrinis versibus uti licet in strophis aut e quaternis versibus compositis, sicut in *Testamento* Johannis de Meun, aut uno rhythmo ornatis (*laisses monorimes*) ; harum autem mensura arbitrio tantum poetae finitur.

Libellus Baldetti Herenc et ille qui est in codice 4237 ita inter se sunt consentanei ut jure dici possit

Empetre nous bonne aventure
Vers ton filz, qui en croix cria,
Quant de mort senti la poincture,
En quoy oncques ne varia,
Pour saulver humaine nature.

Forme de simple fatras impossible de VI *et de* VII *sillabes, mais on le peult faire de tel mettre que l'on voeult.*

La chose va trés mal
Ou point n'a de justice,
La chose va trés mal,
Dist un veau de metal,
Au front d'une genisse,
Qui en ung orinal
Bouta ung cardinal,
Qui faisoit sacrifice
De l'oeul d'une escrevice,
En ung four de cristal,
Pour ce que sa pelice
Tenoit estat royal,
Ou point n'a de justice.

alterum alteri non nihil suppeditavisse, aut saltem utrumque scriptorem uno eodemque exemplari usum fuisse. Quod etsi minime ex his rebus dubium est de quibus jam disserui, hoc tamen addam insuper :

Ex codice 4 2 3 7.	*Ex Baldetto.*
Cy commencent les regles de la seconde rettorique... et est dicte seconde rethorique pour cause que la premiere est prosayque...	Cy s'ensuivent plusieurs et diverses tailles de la ornure de la dicte seconde rhethorique, et est nommee secunde rhetoricque pour ce que la premiere est prosayque...
. . . .	. . . .
Premierement lais ont 12 coupplés, dont le 1er couplé et le derrain sont d'une façon et d'une consonance, et les 10 coupplés sont chascun a par soy de façon, mais il fault que chascun ait 4 quartiers.	Premierement forme de lay, qui doibt estre de douze couplés, dont le premier et derrenier couplet sont d'une façon et d'une consonance, et les x aultres couplés sont chascun par soi de fasson, mais il fault que chascun ait quatre quartiers.....

Cave tamen ne temere concludas ex his verbis ita comparatis alterum libellum meram esse alterius imitationem; quae enim supra de utroque dixi rem sese aliter habere confirmant. Tantum prorsus in

definitione carminis quod dicunt *lai* duo scriptores admodum eadem dixisse videntur; ceterum in eorum libellis rariores sunt definitiones, quarum in locum exempla plerumque allata sunt. Semel autem eodem exemplo utuntur; sed novis exemplis uti perquam facile fuit, si utervis alterum imitatus imitationem hoc modo dissimulare voluerit.

Denique quod si alterum libellum ab altero originem trahere dici possit, mihi videtur libellus in codice Parisiensi relatus quasi archetypum fuisse : cur ita sentiam, jam supra dixi. Hoc vero fieri potest ut uterque scriptor ex uno eodem fonte hauserint; ex quo minime mirum est eos aliqua ex parte similes exstitisse.

TRAITÉ DE L'ART DE RHÉTORIQUE

Ex codice Bib. nat., *Nov. Acq.*, 1869.

Libellus de quo nunc mihi tractandum est non modo typis non expressus est, sed etiam nusquam ejus mentionem adhuc inveni. Servatus est in uno codice nunc Bibliothecae nationalis, antea baronis Pichon.

Codex ille chartaceus sub finem saeculi quinti decimi in Lotharingia, verisimiliter in urbe Mediomatricorum, exaratus est; qua ex regione eum ortum esse declaratur et ipso scribendi modo, et versu quodam ballatae, et nonnullis idiomatibus (1), et longo nominum indice, qui, ex epistolis a scabino et juratis Mettensibus ad quosdam Lotharingicos viros missis excerptus, in prima pagina legitur (2).

Quis Artem illam scripserit et quo tempore, quaestio est. Antiquiorem tamen codice eam non existimo.

In principio scriptor, sicut et Eustachius de Campis, litteras in consonantes et vocales dividit (2), « exceptez

(1) Vide p. 50.

(2) Viri ad quos litterae missae fuerunt sunt : Jehan, comte de Sal-

h, qui n'est riens que aspirations. » — Iisdem autem verbis Eustachius utitur : « N'est pas *h* proprement lettre, mais n'est que une aspiracion. »

Littera *e* aut vocalis aut semivocalis esse potest; si vocalis eademque ultima verbi littera est, et si prima littera insequentis verbi vocalis quoque est, tunc apocopa fit.

Diversa deinde rhythmorum genera, quotquot sunt, enumerantur, scilicet rhythmus aequivocus, et rhythmi qui ex una vocali, ex una, duabus, tribus, quattuor syllabis; ex duobus, tribus, quattuor consonantibus cum vocali efficiuntur.

Definitur deinde quid sit rhythmus : « Nihil aliud est quam duo versus similiter cadentes ; quanto etiam pluribus litteris inter se versus respondent, tanto melior est rhythmus. »

Versus brevior (*vers coupé*) longiori antecedenti congruat necesse est.

Quod ad versuum mensuram attinet, ex quantocumque lubet syllabarum numero fieri possunt, dum-

mes ; Jehan, comte de Nassowe et de Sarrebruche ; l'évêque de Metz ; Wyart Richeret, prévôt de Sancy ; Hullon de Marris, prévôt de la Chaussée ; Jacquet Deville, prévôt du Pont ; les gens de la Chambre des comptes étant à Bar ; Symon, comte de Salmes, seigneur de Rotzel, de Vorflai et de Rethy ; damp Jacqui... de Gerbeviller, abbé de Gorze ; le duc de Calabre, marquis du Pont, lieutenant du roi de Sicile dans les duchés de Bar et de Lorraine ; les jurés du Pont ; Watrin Haisard, prêtre-gouverneur de Condé ; Guillaume d'Angy, bailli de Saint-Mihiel ; les gens du conseil du roi de Sicile à Nancy ; Jehan Mourcel, receveur général de Lorraine, gouverneur des salines de Château-Salins ; Jehan de Raville, chevalier seigneur de Sept-Fontaines et de Dagstul ; Fransey .....herm, prévôt de Briey.

modo omnes versus cujusque poematis aequi sint, excepto tamen qui « *vers coupé* » dicitur, cum dimidio ceteris minor esse debeat. Pro exemplo carminis in quo quisque versus monosyllabon sit rondellum jam in Arte codicis Bib. nat., *Nov. Acq.*, 4237 insertum scriptor refert. Additque : « Item on doit sçavoir que communement rondelz ne balades n'ont point de nombre de silabes en leurs bastons, mais lais ont tousjours VI silabes. »

In hoc autem de *lai* praecepto, cum a legibus de quibus omnes consentiunt longe dissideat, erravisse scriptorem existimo.

Si quis artis Rhetoricae rhythmicae recentiora instituta cognoscere velit, necesse est iis qui ballatas et rondellos faciunt multum utatur, cum in ejusmodi conficiendis carminibus diligens exercitatio requiratur. Quamobrem haec duo genera tantum in Arte describuntur.

Rondellorum quattuor sunt species : « *ung petit rondel* » quem supra simplicem appellavi; « *un plain rondel* » id est duplex rondellus; « *un double rondel* », qui a superiore tantum eo differt quod singulis versibus in initio cujusque strophae adjunctis, amplior est; « *ung rondel a vers coppez* », quem alii rondellum *layé* nominant.

Versuum repetitorum, qui gallice *refrain* dicuntur, nulla fit mentio.

De ballata, sicut de rondello, scriptor nihil aliud docet quam qua ratione versus inter se jungantur, neque de hoc quidquam novi refert.

Sequitur deinde index, quo completur opus, octingentarum circiter dictionum inter se consonantium, in quo hoc praesertim dignum est quod notetur, scilicet verba quae nunc in syllabas *eur* et *our* (*honneur*, *sejour*) exeunt inter se consonare ; primasque et secundas vocales verborum *roïne* et *haïne* in unum sonum non coalescere. Quae propria Lotharingicae dialecti sunt.

Libellus ille, quem describere modo conatus sum, adeo contractus est, ut mihi haud dubium videatur quin hic scriptor Artem aliquam antiquiorem longioremque ad usum suum in breve coegerit, legibus ex ea excerptis quibus versus fingi et inter se adnecti potius quam quibus carmina ipsa construi debeant.

MOLINETTI, L'ART ET SCIENCE DE RHÉTORIQUE

Inter Artes Rhetoricae rhythmicae quinto decimo saeculo scriptas, videtur una ante omnes nota. Nimirum saepius mentio facta est Artis cujusdam ab Henrico de Croy compositae. Me quidem fugit utrum Henricus de Croy unquam vixerit an non, verum affirmo, neque injuria, opinor, ab eo nullam Artem Rhetoricae fuisse scriptam; certum est saltem nullam exstare quam illi jure imputes.

Ulysses Chevalier (1) contendit quidem Henricum de Croy artes docuisse Parisius ante annum 1498. Illam autem affirmationem non licet haurias ex quattuor fontibus ab eo laudatis, e quibus nihil omnino de de Croy disces. Quod nomen cognitum est tantum quia invenitur in prologo unius ex editionibus Artis cujusdam typis expressae. Harum editionum prima Carolo VIII dedicata est, qui mortuus est anno 1498; unde sine dubio factum est ut Chevalier contenderit Henricum de Croy ante illum annum

(1) *Répertoire des sources historiques du moyen âge.*

vixisse. Ei autem licebat pro anno 1498 annum 1493 indicare, quo libellus editus est.

In prologo Henricus de Croy dicit se esse libelli auctorem a se ipso Carolo regi oblati; quin hoc verum esset nemo unquam dubitavit.

Harum editionum exemplaria rarissima facta sunt; quorum tria reperire est in Bibliotheca nationali, scilicet duo a Verardo, qui primus editor fuit, emissa; unum a Johanne de Guerlins, Tolosae. Ex exemplaribus editionis Verardinae unum in membranis expressum est, alterum in chartis. In membranaceo exemplari prologus legitur in tergo primae schedae scriptus, contra in chartaceo eadem pagina nihil habet. In hoc minuta pictura effictus est scriptor suum libellum porrigens cuidam viro, qui, quantum percipi potest, effigiem praesulis praebet; in altero eamdem quidem picturam videre est, sed pro praesule Carolus VIII effictus est.

Nullus vero exstat prologus in editione Johannis de Guerlins; quae quidem secundum editionem Verardinam facta est, cum ejus plurimas mendas referat. In Pictavensi quoque prologus desideratur.

Utrum ceterae editiones, de quibus nihil comperire potui, prologum habeant an non, nescio. Igitur fieri potest, mea quidem sententia, ut membranaceum exemplar Bibliothecae nationalis, in quo regis persona efficta est, haud aliud sit atque exemplar Carolo VIII ab Henrico de Croy oblatum.

Quidquid id est, hoc unum exemplar cui sit prologus novi; non autem alias quam in prologo legitur

nomen Henrici de Croy, quod in nullo alio exemplari invenias (1).

Ars illa, de qua loquimur, saepe laudata est, nomine semper Henrici de Croy addito; nunquam vero mentio fit Artis a Molinetto compositae, quam tamen exstare nonnulli noverunt, quamque nunquam editam fuisse omnes ducunt. Invenitur autem in duobus codicibus Bibliothecae Nationalis, e quibus unus sub finem quinti decimi saeculi, cum hoc titulo scriptus est : *Un petit traittié compilé par maistre Jehan Molinet, a l'instruction de ceulx qui veulent aprendre l'art de rhetorique*; alter vero, saeculo sexto decimo compositus, inscribitur : *L'art de rethorique composé par maistre Jehan Molinet.*

Molinetti prorsus libellus haud dissimilis videtur illius quem, non semel typis mandatum, Henrico de Croy tribuerunt. Eumdem etiam prologum in fronte habet atque membranaceum Verardinae editionis exemplar.

Qui libelli hoc tantum inter se differunt :

1° In prologo manu scripto Molinettus ipse verba facit, idemque « dominum honoratissimum » alloquitur, cum vero in prologo typis expresso, Molinetti nomine sublato, Henrici de Croy nomen substitutum sit, dominique locum rex obtineat.

(1) Vetus « Ars poetica » quam Paschasius in urbe Bloso inspexit, quamque regno Ludovici XI assignat, nulla alia est atque illa de qua verba nunc facimus. Manifestum est in exemplari a Paschasio tractato defuisse prologum; quod ni accidisset, illam Artem hic Ludovici XI aetati non adscripsisset (Pasquier, *Recherches*, lib. VII, p. 700).

2° Molinettus, cum de rhythmo dicto « *batelé* » loquitur, enumerat quibus in operibus hoc versificandi genere usus fuerit : « De cette nouvelle mode sont colorés la Complainte de Grece, le Trone d'honneur, le Temple de Mars, le Naufrage de la pucelle et la Ressource du petit peuple. » In editionibus hoc quoque additum est : « Et en a esté inventeur maistre Jehan Molinet de Valenciennes. »

3° Editionum finem facit rondellus qui artificio quod graeco nomine vocatur ἀκροστιχίς nomen Caroli Valesii (Caroli VIII) refert, quique in libellis manu scriptis deest.

Ad hoc addas licet plurimas mendas quibus editionum textus saepe adulteratur; quarumque molestissima ex eo orta est quod typographus sine dubio nonnulla folia interverterit; quo fit ut scriptor, cum octonorum versuum (*huitain*) exemplar nuntiarit, rondellum afferat; aut rondellus in quadam pagina initium ceperit, qui post quattuor tantum folia terminetur.

Hic est prologus qualis in codicibus et in Verardina editione reperitur.

(*Ex cod. Bibl. nat., fr.* 2159.)

Pour ce que nouvellement, comme j'entens par voz gracieuses missives, estes tiré soubz l'estandart de Cupido le dieu

Ex exemplari Verardino.

Pour ce que nouvellement, comme je entens, sire, par vostre trés noble engin et entendement estes tiré soubs l'estandart

d'Amours, et que vous, mon trés honnoré seigneur, tout entrepris d'ardant desir, desirez estre trés leal et chevalereux champion pour conquerre vostre partie adverse et obtenir d'elle victore glorieuse, vous estes adressiét vers moy, affin d'user de l'art de rhetorique. Certes, trés honnouré seigneur, ce tant pou que j'en ay en teste ne vous y peut gueres ou pou aidier; vous en avez plus en la bouche que n'en scet mettre par escript; ne la chalemele de Pan, qui abusa le roy Midas, ne la fleute du dieu Mercure, qui endormi le cler Argus, ne la viele d'Amphion, qui repara les murs de Thebes, ne aussy la harpe d'Orpheus, qui ouvri les portes d'enfer, n'eurent ensemble tele armonie, ne si joieuse resonance que vous, trés de Cupido et de Venus, lesquelz gouvernent la temporalité, selon l'art de rhetorique, pour parvenir a aprendre, concevoir et entendre l'art trés noble de rhetorique, et coucher par escript, en beaulx termes, par dictions et redargutions, s'il est besoing, toute a la louenge de Dieu et de nostre mere saincte eglise, comme par motelz, par verselz et autres louenges a l'onneur de Dieu et de ses sainctz, lesquelz sont faicts et se font journellement en rhetorique par grans clercs et autres, tant en latin comme en françois. Sire, pour passer temps aucunesfois faisant dictiers, rondeaux joyeulx, balades ou responces, il est de necessité que les roys ou les princes y mettent leur entendement pour aprendre a parler, a dicter et a bien mettre par

honnouré seigneur, avez en bouche et en faconde. Voz trés nobles progeniteurs, parens et oncles et germains en furent et sont si richement douez que les trés haulx et glorieux personnages de ce monde en ont esté largement contentez, amoliez et adoucis; vous forligneriez grandement se n'en sentiez quelque estincelle. Que proufitteront donc mes rimes emprès vostre vive eloquence, ce sera paille emprès pur grain, plomb emprès fin or, eave emprez vin et obscure face de lune emprez resplendissant soleil. Mais affin de mieulx satisfaire a voz prieres et requestes, que je tiens pour commandement, je vous envoie ce petit traittié de rhetorique, tout chaudement forgié et fait a vostre contemplation, auquel vous trouverez patrons, exemescript, tant es œuvres de poeterie, semblablement en langue latine, pareillement a la langue françoise, theorique et vulgaire. Et comme vostre trés humble et trés obeissant subject et serviteur, me suis ingéré de vous presenter certains patrons et exemples. Certes, sire, ce tant peu que je vous presente ne vous peut gueres aider; vous en avez plus en la bouche que n'en sçauroye mettre par escript; ne la chatemelle de Pan, qui abusa le roy Midas, ne la flute de dieu Mercure, qui endormit le cler Argus, ne la vielle de Amphion, qui repara les murs de Thebes, ne aussi la harpe d'Orpheus, qui ouvrit les portes d'enfer, n'eurent ensemble tel resonance ne si joyeuse armonie que vous, sire, avez en sens de vostre entendement, sans toucher

ples, couleurs et figures de dictiers et tailles modernes, qui sont maintenant en usage, comme lignes doublettes, vers sisains, septains, witains, alexandrains et rime batelee, rime brisiee, rime enchayennee, rime a double queue et forme de complainte amoureuse, rondeaux simples d'une, de deux, de trois, de quatre et de cinq sillabes, rondeaux jumeaux et rondeaux doubles, simples virelais, doubles virelais et respons, fatras simples et fatras doubles, balade commune, balade balladant, balade fatrisie, simple lay, lay renforchiét, chant royal, serventois, riqueraque et baguenaude. De laquelle rhetorique, mon trés honnoré seigneur, se c'est chose qui guaires vaille, vous prenderés en gré, s'il vous plaist, tant la fleur comme par art, et tant seulement en sens naturel et acquis. Car vostre complexion et de vostre entendement desirez sçavoir, comprendre, discerner et entendre la trés noble science de rhetorique. Sire, se c'est chose que gueres ne vaille, vous prendrez en gré de vostre trés humble et trés obeissant subject et serviteur, Henry de Croy, lequel aucunes fois, par maniere de passe temps, s'i est bien voulu occuper.

la farine, tele que vostre
trés humble et petit Mo-
linet a sceu tourner en-
tre ses meules.

Igitur Artem typis expressam Molinetto rursus tribuo, nec quidquam amplius de Henrico de Croy jam dicturus sum.

Molinettus non idem sentit atque Eustachius, utpote qui non declaret poeticam e musica pendere, eamque nominet « Rhetoricam vulgarem »; hanc tamen ita judicat : « Une espece de musique, appellee rythmique, laquelle contient certain nombre de sillabes, avecques aucune suavité d'equissonance. »

Initio libelli sui Molinettus breviter disserit de litterarum partitione, quae in vocales consonantesque dividuntur, et de verborum versuumque divisione, quorum genus femininum est aut masculinum; denique de vocali *e* ad verborum finem elidenda quotiens vocalem praecedit. Quod prooemium non multum differt a libelli prooemio qui invenitur in codice Bib. nat., *Nov.*, *Acq.* 1869, non solum sententiis, verum etiam verbis; exemplaque in utroque reperire est fere inter se congruentia, quae sunt : apud Molinettum : *vierge*, *mere*, *dame*, *royne*, *pucelles*, *gentes;* in codice 1869 : *pucelle*, *vierge*, *Marie*. *dame*, *royne*. Quod casu tantum evenisse minime credas licet.

His etiam verbis uterque scriptor causam enuntiat cur feminina *e* in verborum fine elidatur :

Molinettus :	In codice :
« La dicte sillabe (finis-	« La darrienne cilabes,

sant en *e*) se boute avecques la dicte voyelle. »

finans en *e*, se boute en la premier voieux des dictions commençant par voieux. »

Animadvertendum est etiam appellationem qua Molinettus usus est, scilicet « Rhetoricam vulgarem », appellationi quae est in codice 1869, scilicet « Rhetoricae laicae » congruere.

Unde non infero quidem Molinettum libello codicis 1869 usum fuisse, sed arbitror utrumque auctorem ad imitationem ejusdem exemplaris scripsisse.

Hoc brevi prooemio ita scripto, auctor singulis carminum figuris hoc ordine studet : *lignes doublettes*, *rimes croisées*, *sixains*, *septains*, *huitains et douzains*, *rimes battelées*, *brisées*, *enchaînées ou à queue annuée*, *à double queue*; *complaintes*, *rondeaux simples de 1, 2, 3, 4, 5 syllabes*; *rondeaux jumeaux*, *rondeaux doubles*, *simples virelais*, *doubles virelais*, *fatras simples et doubles*, *ballades communes*, *balladantes*, *fratrisées*, *lais simples*, *renforcés*, *chant royal*, *serventois*, *ricqueraque*, *baguenaude*.

Paucis deinde verbis definit rhythmos qui vocantur aequivoci, leonini, rurales, *de goret*. Facile autem animadvertes, si modo ejus opera legeris, ab eo pluris aestimari rhythmos aequivocos. « De rimes en goret, inquit, et plusieurs autres mesmes tailles ne font les rhetoriciens quelque estime, pour ce qu'elles sont vicieuses et condemnables. Mais qui veult practiquer la science choisisse plaisans equivoques, termes leo-

nins, et laisse les bergiers des champs user de leur theorique et rhetorique rurale. »

Denique iterata in fine versuum verba vehementer vituperat, opusque concludit exemplis rhythmorum leoninorum aut aequivocorum.

Si Molinetti praecepta cum libellis conferrem jam antea a me exploratis, paulo longius opus meum traherem ; paucissima igitur modo de his loquar.

Molinetti sententia longis brevioribusque versibus inter se mixtis constituitur carmen quod vocatur *lai;* a rondello vero carmen dictum *virelai* tantum rhythmorum dispositione differt : « Autre taille de rondeaulx doubles, qui se nomment simples virlais, pour ce que gens lais les mettent en leurs chançons rurales, comme gentes de corps. »

Molinettus, haud aliter atque Baldettus Herenc, putat non ex sensu carmen quoddam *fatras* appellatum esse, verum ex figura ipsa poematis : hoc tantum, praeceptis expositis, addit : « Cette piece convient a matiere joyeuse, a cause de la repetition de mettres. » Quodvis autem poema ad illam formam adduci potest, dummodo primum ac secundum versum certis locis repetas. Quia vero addit quemque versum illius carminis ex septem aut octo syllabis constare, cum Herenc discrepat, qui exempla ex octo aut novem syllabis confecta affert.

Neuter autem dicit quo versuum numero conflari debeat carmen dictum « *fatras* », ex quo suspicari licet hunc numerum minime statutum fuisse.

Molinetti liber multo longior est libellis adhuc a

nobis laudatis; cujus rei duae sunt causae : 1° Jam decrescente saeculo quinto decimo, poetica lyrica multiformis facta est, cum Molinettus et ejus magister Chastelain, ejusque discipuli plurimas easdemque novas formas invenerint. 2° Molinetto in animo fuit tractare de omnibus artis partibus, quippe qui cujuslibet carminis regulam adhibeat; unde veniant saepius declaret; qui poetae certis versuum formis usi sint et quomodo; quaenam denique exstent carmina secundum regulas ab ipso datas composita.

Magni igitur momenti esse dicamus Molinetti Artem rhetoricam; primum propter libelli luculentam materiem; deinde propter scriptoris ipsius auctoritatem, qui inter omnes temporis illius poeticae magistros evasit eminentissimus.

L'ART DE RHÉTORICQUE, POUR RIMER EN PLUSIEURS SORTES DE RIME

Auctore incerto.

Hic libellus, typis anno circiter millesimo quingentesimo mandatus, iterum editus est a viro doctissimo de Montaiglon, in collectaneis quibus titulus inscriptus est : *Recueil de poésies françoises des XV*ᵉ *et XVI*ᵉ *siècles*. Alteram vero lectionem, priori longe anteferendam, invenias in codice manu scripto Bib. Nat., *fr.* 2375 (fol. 38 v°-41 r°), cui tituli loco inscriptum est : *S'ensieut ung aultre traictiet de Rectoricque fait pour apprendre a rimer*.

In ea autem Arte, quae ex versibus constat, suum cuique praecepto inest exemplum; qua quidem docendi ratione usus est scriptor quidam, Infortunatus cognomine, in opusculo de quo infra. Qua in re hoc etiam non negaverim duos libros inter se aliqua ex parte congruere; cum vero quo tempore scriptus sit uterque non satis constet, non est cur quis asseveret utrius scriptor utrum sit secutus.

Apud illum primo definiuntur diversa rhythmo-

rum genera : rhythmus *en goret*, communis, leoninus, aequivocus et concatenatus.

Discernit etiam a masculinis femininos versus, ut qui syllaba una redundare debeant; prolatisque, exemplorum nomine, rondello aequivoco et aliis versibus seu *de rime plate*, seu *de rime brisee*, omisso tamen quid inter hos et illos intersit, definit carmina quae Galli dicunt *cinquain*, *sixain*, *septain*, *huitain* non unius modi, *douzain*, *lai* simplicemque et duplicem, rondellum ex una syllaba, ex duabus, simplicem duplicemque. Sunt etiam, inquit, ballatae saltatoriae (*ballades balladans*) et *virelais*, de quibus hic non agetur.

Concludit denique opusculum dicendo se illud amici cujusdam causa scripsisse.

Errare autem mihi videtur Zschalig cum dicit in quibusdam illius libelli locis alludi ad libellum Eustachii de Campis. Illum enim nihil aliud esse nisi epitomen Molinetti jam patuit ex explicatione utriusque operis quam supra comparate expendimus. Ambo enim de quinque rhythmorum generibus ex ordine disserunt : de rhythmo *de goret*, de communi aut rurali, de leonino, aequivoco et concatenato; deinde de duplice rhythmo (*rime plate*); posteriorque, aliis quidem verbis, Molinetti schemata refert de sexenis, septenis, octonis versibus; alterius *regrets*, alterius *complaintes* eadem sunt. In opusculo denique cui scriptoris nomen deest, quinteni versus (*cinquain*) saepius ad cantilenas pertinere dicuntur; Molinettus autem, quanquam ne semel quidem verbo *cinquain*

usus est, haec tamen de duplice rondello dicit : « Cette maniere de rondeler sert aux chansons de musique, comme Le Serviteur et une autre maniere de cinq lignes. »

INSTRUCTIF DE LA SECONDE RHÉTORIQUE.

Auctore Infortunato.

Liber ille ex versibus constat; versus autem in hanc formam componuntur, ut exemplum praebeatur simul ac praeceptum, ut fit in epitome supra dicta (1). Huc accedit ut is nunquam non additus sit, in primo loco, excerptis poematis quae inscribuntur *Jardin de plaisance*. Quis autem scripserit incertum est, cum lateat scriptor sub nuncupatione *Infortunatus*. In quadam tamen ballata, ubi cum Alano Auriga sermocinatur, se ipse Jordanum nominat, ex quo liquere videtur illud verum esse nomen. Cum autem unum inter carmina istius *Horti Deliciarum* inscribatur : *Lamentationes Johannis de Calesio*, hoc inter omnes adhuc, nescio cur, convenit, eamdem unam esse personam Johannem de Calesio, Jordanum et Infortunatum, efficiente scilicet ipsa nominum redundantia ut nemo aliquid unum eligere ausus sit. Ut vero non satis constat et Infortunatum varias istas partes *Horti Deliciarum*, quae

(1) Conf., p. 62, *L'Art de Rhétoricque, pour rimer en plusieurs sortes de rime.*

passim carptae sunt, collegisse, et Johannem scriptorem fuisse *Lamentationum*, ita hoc praesertim minime liquet alterutrum scripsisse et *Lamentationes* et *Hortum Deliciarum*, et, a fortiori, Artem Rhetoricae rhythmicae quae antecedit (1).

Primum editus est *Hortus Deliciarum* anno vel 1499 vel 1500, quo tempore hic liber scriptus est cui titulus fuit non, ut vulgo asseritur, *Fleur de Rhétorique*, sed *Instructif de la Seconde Rhétorique :*

> Ce traictié se nomme Instructif
> De la seconde Rethoricque,
> Par l'Infortuné constructif.

Quem titulum facile cuivis apparebit vicinum esse titulis duorum operum de quibus supra actum est (2).

Quos hactenus scriptores memoravimus, ii quasi temere et inconsulto, nulla ratione instituta, progredi solent, cum summatim tantummodo eas partes conjungant quae inter se maxime congruere videantur. Hic vero via et ratione procedit, ut decet praecipientem. Liber enim Infortunati in capita dividitur et iterum in paragraphos. Quinimmo non solum opere incipiente exponitur ordo summae totius, sed etiam cuique capiti et inscribuntur partes singulae et addi-

(1) Ceteroquin non est quod effici non posse credam ut omnes simul contenti evadant, si quis Johannem praenomen, Jordanum nomen, Calesium originis locum, Infortunatum cognomen unius ejusdem personae esse contenderit.

(2) Conf. p. 25, *Règles de la Seconde Rhétorique*, auctore incerto, et p. 36, *Doctrinal de Seconde Rhétorique*, auctore Baldetto Herenc.

tur quasi appendix quaedam ubi jam dicta paucis verbis recolligit scriptor et indicat quid sequatur.

Decem sunt capita :

Capite I definitur rhetorica. — Scientia est eleganter et sapienter loquendi ad persuadendum et dissuadendum.

Cap. II. Qui apud veteres fuerint rhetoricae auctores? — Hermagoras eam ipsam invenit, Aristoteles leges statuit, quas de graeca lingua in latinam Cicero transtulit.

Cap. III. Duae sunt partes rhetoricae, ut quae sive oratione soluta sive versu scribere doceat. De secunda tantummodo parte, quae ad versus fingendos attinet, dicturus Infortunatus, operis sui rationem describit.

Cap. IV. Septem poesis vitia definiuntur, scilicet : 1° Inaequabilium inter se versuum compositio (*Faulce proportion*). — 2° Inepti rhythmorum soni, quales sunt rhythmi gallice *de boute-chouque* et *de goret* dicti (*Impropre consonance*) (1). — 3° Inepta locutio (*Impropre locution*). — 4° Ejusdem vocis in fine versuum iteratio (*redites*), quae omnino alia est atque iteratio a Gallis *refrain* appellata. — 5° Verba nova ex latino incautius assumpta, vel corrupta, vel nimis aspera. — 6° Verba contorte aequivoca (*Equivoques contraintes*). — 7° Pravus vocalium concursus, qui fit cum prima littera vocabuli cujusdam vocalis est,

(1) C'est pour les ruraux et lourdois,
Qui riment febves contre pois.

et littera *e*, quam mutam dicimus, antecedens vocabulum terminat et pro syllaba habetur.

Cap. V. De poesis figuris :

Figure est impropriété
Licencice et aprouvee
Par us et par auctorité.

Sex sunt figurae praecipuae : 1° Synaloepha, qua littera muta *e* in fine verbi detrahi potest, dum prima proximi verbi littera vocalis sit. — 2° Syncopa, quae intus in vocabulo fit : *prodomiment* pro *prodomiement*, *souef* pro *souëf*. — 3° Apocopa, cujus specimina habeas licet : *supply* pro *supplie; onc*, *peur*, *donc* pro *oncques*, *paour*, *doncques*, et alia. — 4° Synonymon. — 5° Aequivocae dictiones. — 6° Dialogus, cujus Alanus Auriga non inventor sed antistes fuit.

Sunt et aliae figurae, sed hae praecipuae tibi sufficiant.

Cap. VI. Versus alios masculinos alios femininos esse.

Cap. VII. Ex quo syllabarum numero versus constare possit.

Cap. VIII. Quonam modo rhythmorum copiam compares; quae vitia eos quaerenti fugienda sint : 1° Verbum simplex composito societur, si fieri potest. — 2° Ne verbum cui alterum consonans non invenias, qualia *clerc*, *drap*, in fine versus colloces. — 3° Si rhythmum non reperias, « *une bonne concordance* » tibi satis fiat, ita ut *roc* cum *croc* seu *froc* conjungere

non dubites. — 4° Probabilis sententia est eorum qui vocabula eodem sono sed variis litteris desinentia consociant. — 5° Iterationes fuge, nisi quinquaginta versus vel plus interfuerint. — 6° Abstine a dictionibus insolitis seu arcessitis. — 7° Cave ne Picardico more diphthongo simplex vocalis maritetur, ut si *duire* cum *cire*, *lieux* cum *gracieux* jungas. — 8°-9° Ne sensum rhythmo subjicias neve inanibus verbis utaris.

Cap. IX. « De coloribus et speciebus rhetoricae. » Enumerantur viginti rhythmorum species, quae sunt:

1° Leoninus rhythmus. Sic (*rime leonine*) Infortunatus vocat quem priores scriptores gallice *rimes doublettes* appellaverunt, ego vero latine *duplicem rhythmum* nominavi; quem autem illi leoninum, noster leoninatum vocat.

2° Cruciatus rhythmus, cujus sex sunt modi.

3° Rondellus, cujus sex figurae adnumerantur, ut cujusque prima stropha ex duobus, tribus, quattuor, quinque, sex aut septem versibus constet; stropha autem septem versus habere potest, si *layée* aut *virelayée* est, id est si longioribus breviores versus mixti sunt; qua forma Alanus Auriga primus usus est. Sequuntur specimina rondellorum omnis generis.

4° Retrogradus rhythmus dicitur cum ultimum poematis versum loco primi, penultimum loco secundi legere potes, et usque ad primum inverso sic ordine, servato tamen quodam sensu, retrogradi.

5° *Chapelet.* Nihil aliud est quam duplex rondellus.

6° *Bergerette*. Rondellus est cujus secunda stropha non iisdem rhythmis terminatur quibus prima.

7° *Palinode* (1). Poema est cujus versus quodam ordine repetuntur, ut puta : 1-18 + 1-4 + 19-21 + 4-6 + 22-24 + 7-10 + 25-27 + 10-12 + 28-30 + 1-etc.

8° Epilogus vel *Fatras*, quem jam in superioribus Artibus vidimus.

9° Ballata. Quot syllabae sunt in quoque versu, tot versus in unaquaque ex tribus strophis esse decet. Inter alia exempla ballatam illam Infortunatus refert in qua ipse, cum Alano disputans, modo Infortunatus modo Jordanus nominatur.

10° Cantiones quovis modo fingendae.

11° Cantus regalis, quem campum regalem Infortunatus vocat.

12° *Refrain volant* vel *branlant*. Sic appellatur quodvis poema nulla alia lege constrictum nisi ut quaeque stropha eodem versu iterato terminetur.

13° Servantasius, qui nihil aliud est quam cantus regalis cujus strophae non eodem iterato versu terminentur.

14° Cantio amatoria (*amoureuse*), e picardica regione oriunda, in Tornacensibus conciliis recitatur. Necesse autem est primae strophae initium e verbis *Loial amant* seu *Cœur amoureux* constet, secundae

(1) Sic legere ne dubites verbum quod typis *Psalmode* impressum est.

strophae *Qu'il soit ainsi*, tertiae *Or aimons donc*, quartae *Si est l'amant*, quintae *Dame d'honneur*.

15° *Lai*. Praestantissima exempla apud Alanum reperias.

16° *Virelai*. Stropharum numerus incertus est; si tamen duodecim strophas ex versiculis feceris, optime erit.

17° Adnexus rhythmus fit cum extremum versus verbum vel hujus verbi prior aut altera pars, syllabis quibusdam adjectis quae vocem et sententiam mutent, initio proximi versus repetitur (1).

18° Concatenatus rhythmus efficitur cum vocabulum unum et idem, vario quidem sensu, ultimum fit alterius versus, et proximi primum (2).

19° Laqueatus rhythmus hoc a concatenato differt quod alterius versus ultima tantum extremi verbi syllaba initio insequentis versus iteratur (3).

20° Coronatus vel etiam equitans (gallice *à cheval*) rhythmus dicitur cum penultimum verbum cujusque versus monosyllabon est et idem resonat ac prima ultimi verbi syllaba (4). — In recentioribus Artibus,

(1) Ainsi se fait rime *annexee*,
Annexant vers a autre *envers*
Versifiee. . . . .

(2) Ainsi se font enchainés *vers*,
Vers les vifs engins comme *sens*,
Sens. . . . .

(3) D'entrelassez vers plaisans grac*ieux*,
Eulx se forment en tele forme ain*si*
Si. . . . .

(4) Les vers ici sont es *cours couronnés*,

de quibus infra dicturus sum, alia *coronarum* genera definiuntur; ut puta, si ultimum verbum cujusque versus monosyllabon est et idem resonat ac penultimi extrema syllaba (1).

Cap. X. « Pro misteriis compilandis, cronicis, romanciis, et historicis. » Is est quidem capitis titulus, materia vero ei minime respondet, nam de iis tantum quae ad scenam componuntur fabulis scriptor tractat (2), neque tragicas a comicis dividit, neque omnia quae ad scenicam rem pertinent praecepta exprimit, sed haec solummodo : ne plures neve pauciores justo actores inducantur; nobiles personas necesse est famuli comitentur; carmina *lais* et *virelais* dicta in sermone inserantur; quaeque persona pro sua conditione loquatur.

Num Infortunatus aliquid e prioribus qui exstant in suum redegerit, operosa res esset exquirere, nec operae pretium. Quod enim cum iis aliqua ex parte congruat, nullum verum id argumentum est, cum non suam quisque sententiam de arte profiteri soleant, sed praecepta inter omnes convenientia vulgoque comprobata. Praeterea, ut priores imitatus sit, necesse tamen fuit eum versuum numero rhythmisque impediri quominus verba ipsa re-

Ou a cheval sont par leurs *noms nommés*,
Pour ce qu'ils sont par tel *ordre ordonnéz....*

(1) Guerre a faict mainct chatel*et let*
Et mainct*e* bonne *ville ville*,
Et gasté mainct gardin*et net...* (Ex Fabri Arte).

(2) S'en personnaiges l'on veult faire.

ferret. Attamen non equidem negaverim Infortunatum Molinetti libro aliquatenus usum esse. Haud enim secus atque ille haec praecipit, ut negligatur rhythmus dictus *de goret*, tanquam istis relinquendus quos *ruraux* appellat (1), struanturque, quo facilius suppeditet rhythmorum copia, voces novae e simplicibus vocibus, addita una e particulis *par*, *de*, *dif*, *con*, *sub*, *re* (2). Prohibent etiam ambo verborum iterationes (*redites*) et eumdem sectantur ordinem cum agunt de variis poematum speciebus.

Saepius tamen in diversas tendunt partes duo illi scriptores, ut puta cum *lai* et *virelai* definiunt.

Infortunatum vero omnes qui prius ea de re scripserant vicisse ex eo praesertim manifestum est, quod ratio universa libri magis est, ut ita dicam, praeceptiva, simul quod ipse et magni poeticum sermonem aestimare videtur, et rhythmo anteponendum esse sensum et vim sententiarum arbitratur. Praepollet denique ultimo operis capite ubi de fabulis loquitur dramaticis.

Quamvis autem impeditus fuisse videatur versus angustiis (quo fit ut, cum quid definire velit, fiat obscurus et vix etiam aliquando intellegi possit), minime tamen dubium est quin maxime floruerit liber ejus plerisque probatissimus. Quod liquet cuivis

(1) Molinettus dixerat : « Mais qui veult practiquer la science choisisse plaisans equivoques, termes leonismes, et laisse les bergiers des champs user de leur theorique et rhetorique rurale. »

(2) Molinettus : « Pareillement doit le facteur querir et serchier aucuns vers composez de proportions, comme a, *de*, *re*, *com*, *sub*. »

animum attendenti et quotiens denuo editus sit et quantum iis qui recentius Artes rhetoricae scripserint profuerit.

LE GRAND ET VRAI ART DE PLEINE RHÉTORIQUE

Auctore Petro Fabro.

Hic liber primum, jam eo mortuo qui scripserat, vulgatus anno 1521, sexies postea de integro editus est usque ad annum 1544, adeo prospere successit. His etiam diebus editio nova produci coepta est.

Nil de scriptoris vita accepimus, nisi eum Rothomagi natum, sacerdotium exercuisse in pago Meraco et jam vita defunctum fuisse quo anno emissus est ejus liber. Nonnulla quoque carmina scripserat (1) et opusculum quoddam de Immaculata Conceptione Beatae Mariae (2).

Cum autem Infortunatus asseruisset rhetoricam in duas partes dividi, alteram de versibus, alteram de soluta oratione, Faber et ipse, eadem usus divisione, quippe qui se imprimis Infortunati interpretem gesserit et quasi explanatorem, de utraque disserit : unde tituli verba « *pleine rhétorique.* »

Priorem vero libri partem, a proposito meo alie-

(1) Cf. Pellissier, *loc. cit.*, p. 12.
(2) Cf. Zschalig, *loc. cit.*, p. 21.

nam, praetermitto, quanquam in ea sunt sententiae communes quae poesi aeque ac prosae convenire dici possunt (1).

Quam ob causam de rhythmica rhetorica egerit, ex his intellegi potest : « La science ja dicte en prose, j'ay intention de traicter de l'art de rithmer, lequel pour aulcun cas est plus plaisant que la prose, car les propositions et mesures delectent plus l'entendement que simple prose ; et aussi a celle fin que les devotz facteurs du champ royal du puy de l'Immaculee Conception de la vierge ayent plus ardent desir de composer de tant qu'ils en congnoissent la maniere par laquelle leur devotion croistra ; et affin que noz trés honnorez seigneurs et maistres les princes et poetes laurez d'iceluy puy ayent aulcune recreation, auxquelz je presente ce present livre, en leur suppliant humblement qu'ilz suppleent a mon ignorance en corrigeant mes deffaultes ».

Docet deinde, rhythmo jam definito, et quot syllabas uno versu includere liceat, et quo pacto rhythmos copiose quasi cieamus ; denique duo verborum genera discernit : masculinum genus et femininum ; ita ut eum jure dicas in prosam orationem versus Infortunati tantummodo vertisse.

De verbis recte scribendis et enuntiandis agitur in sequente capite ; quae res, etsi nobis aliena, digna tamen videtur quae a grammaticis non neglegatur.

Postea progreditur ad ea quae colores et species

(1) Cf. Zschalig, *loc. cit.*, p. 24.

rhetoricae vocari solent; quibus ex Infortunati libro traductis exempla addidit. Hoc tantum ex suo sensu profert. Complures tamen species refert de quibus Infortunatus nihil dixit, quae sunt septeni versus (*septain*) et « *riqueraque* » e Molinetto repetita, sicut et rhythmus « *deux et ars* », cujus nomen, non res, primum tunc in medium venit. Hic enim nihil aliud est nisi species illa quam modo litteris *aaab aaab aaab* etc. effinxi (1) (littera *b* versus brevioris locum usurpante), quamque apud Molinettum invenimus et apud priores quosdam qui de istis scripserunt. In iis etiam Faber Molinettum imitatur locis ubi de iterationibus verborum, de ballatis et de « *baguenaudes* » agitur (2).

Ne semel quidem Molinetti nomen declarat, sed cum sententiam aliquam refert quam non ex Infortunato traduxerit, eam iis tribuit quos « *Picards* » appellat; ex quo liquet eum usum esse exemplari cui nusquam inscriptum erat scriptoris nomen, ita ut hoc tantum sentire potuerit, scriptorem Picardicae gentis esse.

Infortunati contra nomen saepissime indicat et ex ejus libro multa excerpta refert, ita ut quis sine injuria dicat Infortunatum Fabro praecipuum ducem fuisse, cum plerumque illius versus in hujus opus soluta oratione traducantur. Utilitatem tamen etiamdum Faber praebet, cum quaedam Infortunati obscura dilucida effecerit, quaedam constrictiora explicaverit vel etiam omnino aliam sententiam tulerit.

(1) P. 32.
(2) Cf. Zschalig, *loc. cit.*, p. 31, 41-43, 52.

Sed minime opus est longius monstrare quibusnam Faber cum superioribus congruat, quibusnam ab iis absit; hoc tantum mihi animadvertendum videtur errare Zschalig cum illum iis ordine et ratione totius operis multo praestare asserit. Nulli enim dubium esse potest quin prudentius in singulas partes distribuatur liber Infortunati. Quid autem de illa congratulatione dicam, quam Fabro habet Zschalig, tanquam doctissime de caesurae praeceptis agenti, cum omnia de hoc ab illo dicta inania sint vel deridenda?

Nihil usquam apud Infortunatum aut Molinettum de caesura legimus; quid autem de ea scripserit Jacobus Magnus jam memoravimus. E Fabri sententia, in omnibus versibus, quotquot e compluribus syllabis constant, caesura esse debet; ex quo concludi licet eam in his etiam versibus necessariam esse qui e tribus, quattuor, quinque, sex, septem syllabis efficiuntur. Locus autem huic incertus, ut quae exsistere possit post primam syllabam :

Paix / escoutez que je vueil dire.

post secundam :

Pensez / que mourir nous convient.

post tertiam :

Par raison / il faut rendre ou pendre.

etc., etc.

Excipit tamen et Alexandrinum versum, qui incisionem post sextam syllabam habere debet, et, non versum quidem ex decem syllabis effectum, sed cantum

regalem servantasiumque, quibus in generibus post quartam masculinam syllabam versum incidi necesse est. Additque hanc caesuram a Picardis *rime batelée* vocari solere, quod manifesta verborum depravatio est; haec enim sunt Molinetti verba quibus alluditur: « En pareille forme de vers huitain se fait rethorique batellee. Et est dicte batelee pour ce qu'elle a sa volee de resonance en la finable sillabe, comme dessus, et a ung autre son et raison en la IIII syllabe, en maniere de batellage... » Quibus verbis significatur carmen *batelé* effici cum quarta syllaba cujusque versus in rhythmum exit.

Postea rursus Faber necesse esse docet versus cantus regalis ex decem syllabis constent, additque: « Et pour ce qu'il est dict devant que terminaison feminine ne faict point pleine syllabe, il est requis que la IIII syllabe, qui est la couppe en champ royal, soit masculine, car syllabe feminine a la IIII place n'est que de trois et sa passe (1), qui est diminution de couppe, ou elle est de quattre et sa passe, qui est addition. » Cum autem, ubi sermo suspenditur, synaloepham facere non liceat, inde fit ut prius hemistichium littera muta *e* terminari non possit. Quod si omnino necesse sit extremum hujus hemistichii femininum verbum fore, etiamdum synaloepha non fiat.

Haec Faber de caesura. Quid igitur est cur de istis cavillationibus Fabro gratuleris?

(1) Sic Faber eam appellat syllabam femininam quae numerum syllabarum plenarum excedit (gallice *passe*).

MOLINETTI ARS RHETORICAE RECENTIORI DOCTRINAE ACCOMMODATA.

In codice (1) Bibliothecae nationalis *fr.* **12434**, Ars quaedam Rhetoricae rhythmicae invenitur, quae non modo inedita mansit, sed de qua nulla unquam mentio facta est. Nullum inscriptum est compositionis tempus, nullum auctoris nomen; quod ad auctorem attinet, nullum indicium reperimus quod certam indagationem promitteret; tempus vero definire prope est ut nobis posse videamur. Auctor enim de « defuncto Johanne Majore de Belgis » non semel loquitur; Johannes autem aut anno 1524 aut anno 1548 defunctus est; inter duo haec tempora ambigitur. Hanc vero Artem post annum 1548 compositam fuisse admitti nequaquam potest : qua enim de causa, quove pacto de mutationibus ita taceret quae Renovationis tempore factae sunt? An dicat aliquis fieri potuisse ut homo veteris assuetaeque doctrinae amator, antiquioribus exemplis, ceterorum negligens, contumacius adhaeserit? Hunc vero ne leviter quidem

(1) Codex membranaceus, sexto decimo saeculo scriptus, fuit ex libris Parisiensis domus Jesuitarum.

novas poesis formas attigisse quae jam apud nostrae πλειάδος vates, certe apud Marottum in usu erant, absurdum prorsus videtur. Ad hoc, ante annum 1548 Franciscus primus mortuus est; quo quidem regnante Ars nostra procul dubio fuit composita; in exemplis enim ejus nomen saepius invenitur et frequens viri commemoratio. Neque objici potest haec exempla ex antiquioribus libris sumpta forsitan fuisse; ipsa enim, ut videbimus, exempla jam a Molinetto relata refert hujus Artis scriptor, adhibitis quibusdam correctionibus. Immo Franciscus « rex juvenis » semel appellatur, quae verba cum priore tantum regni parte congruunt. Auctor tandem de Crettino tanquam de homine adhuc vivente loquitur; haec enim de rhythmo duplice (*rime doublette*) dicit : « Laquelle façon de rime *est a present* bien enrichie par *monseigneur Cretin*, pere des orateurs modernes, lequel en ses compositions a trouvé ceste digne et nouvelle maniere *qu'il use* en telle ryme de deux vers masculins et deux après feminins... et de la dicte invention icelluy Cretin a usé en son œuvre *qu'il fait* sur le Recueil des Cronicques de France et autres ses œuvres. » Crettinus autem circa annum 1525 mortuus est. Ex quo apparet hunc librum anno 1524 aut 1525 compositum fuisse. Ceterum cum hoc tempore convenit totius operis color.

Altera vero est hujus indagationis utilitas; discimus enim non modo quibus temporibus Ars composita fuerit, sed quando mortuus sit Johannes Major.

Qui hunc libellum scripsit Artem Molinetti secutus

est, cum ipsa ejus verba, paucissimis subtractis, quibusdam vero additis, saepissime usurpaverit. De furto autem non fatetur; venia tamen ei danda est quod cujusnam esset exemplar nesciebat; libro enim typis expresso, cui, ut supra vidimus, auctoris nomen deerat, utebatur (1). Quam vero serviliter Molinetti vestigiis ingressus sit, sentias si exordium utriusque auctoris inter se conferas.

(*Ex codice*, fr. 12434.)

Pour entree et commencement de cestuy opuscule, est premierement a entendre que Rhethoricque vulgaire et maternelle est une espece de musicque communement appellee rime, laquelle contient certain nombre de sillabes, avecques aulcune suavité et doulceur de parfaicte consonance. Et ne se peult faire sans diction, ne diction sans sillabes, ne sillabes sans

(*Ex edito Molinetti libello.*)

Rhetoricque vulgaire est une espece de musique appellee rithmique, laquelle contient certain nombre de sillabes, avecques aucune suavité en forme de doulceur et de equisonance. Et ne se peult sans diction, ne diction sans sillabe, ne sillabe sans lettre. La lettre est sillabe qui ne se peult diviser,

(1) Si prologus in quo falso, ut dixi, nomen cujusdam Henrici de Croy insertum est, huic libro praefuisset, eum imitator retulisset. Vide supra quae de hoc prologo scripsi.

lectres. Desquelles divisions la lectre est la moindre partie de la diction ou sillabes, qui ne se peult diviser, comme a b c d e f g h i, etc. Et entre toutes les lectres les unes sont voyeulles et les aultres consones. La sillabe est une assemblee de lectres sous ung seul accent indistamment proferé, qui ne se peult riens signifier sans la diction avecques elle conjoincte, comme fran, clau, etc. Et la diction est celle qui contient une ou plusieurs sillabes, comme de fran Françoys, de clau Claude (1).....

comme a b c d e, etc. Desquelles lettres les unes sont voielles et les autres consonantes. Les voielles sont a e i o u. La sillabe est une assemblee de lettres soubz ung seul accent indistamment proferé, comme ar, bar, bal, etc. Et la diction est celle qui contient une ou plusieurs sillabes, comme Art, Artus, Balam.....

Rarissime scriptor noster, etiam si Molinetti praecepta iisdem verbis reddat, ejus exempla refert. Non alia in eorum locum subjicit, sed eadem mutat, hoc consilio, nisi fallor, ut regi Francisco primo aduletur, atque etiam ut versuum masculinorum femininorumque vices alternet.

(1) Regina Claudia anno 1524, mense julii, interiit; num nomen ejus hic insertum signum sit eam adhuc vivere cum Ars scripta fuerit, vereor dicere.

Iis quae in prooemio, cujus initium modo retuli, de littera muta *e* elidenda praecepit Molinettus, discipulus ejus addit hanc elisionem etiam in caesura (quam *quadrure* appellat) faciendam esse.

Eodem tractat ordine quo Molinettus singula poematum genera.

Ut rhythmi duplicis exempla habeas, laudat « le Roman de la Rose par dix et onze (*sic*), et par huit et neuf, les translations des Eneides de Virgille, les Epistres d'Ovide, etc. (1) ».

Deinde exponitur lex nova de vicibus versuum masculinorum femininorumque alternandis, quam hic primum expressam puto, qua de causa tanti ea mihi videtur esse momenti ut ipsa scriptoris verba referam : « Laquelle façon de rime (doublette) est a present bien enrichie par monseigneur Cretin, pere des orateurs modernes, lequel en ses compositions a trouvé ceste digne et nouvelle maniere qu'il use en telle ryme de deux vers masculins et deux après feminins. Ainsi prosecutivement un couple d'un et ung couple d'autre et a la verité ceste mode et invention sonne beaucoup myeulx et a trés parfaict et entier accent plus que toutes les autres susdictes compositions de ceste rime de doublette, car il est notoyre que opposita juxta se posita magis elucescunt, et de la dicte invention icelluy Cretin a usé en son œuvre qu'il fait sur le Recueil des Cronicques de France et autres ses œuvres ».

(1) Translatore, ut mihi videtur, Octaviano de Sancto Gelasio.

Permagni hanc praescriptionem scriptor existimat saepiusque ad eam in reliquo libro redit.

De rhythmorum modis gallice *sixain*, *septain*, *rime brisée*, *huitain* dictis, eadem ac Molinettus, mutatis tantum exemplis, dicit. His carminum generibus alia addit, de quibus nihil Molinettus scripsit, videlicet :

Carmen cujus quaeque stropha ex novem versibus constat, qui sic ordinantur : *abáabbcbc*, seu : *ababbcc dd*. Ultimus hujus posterioris schematis versus proverbium est.

Poema cujus strophae ex decenis versibus efficiuntur, quodque *dizain* dicitur. Hujus duo sunt schemata, scilicet : *ábáabbccdd* et *ábabbccdcd*. Priore figura Crettinus neniam de morte Willhelmi de Bissipat finxit, altera Johannes Major duplicem ballatam.

Stropha ex undenis versibus plerumque usurpatur ad ballatas et cantus regales quorum versus repetitus undecim syllabas habet.

Duodenorum versuum (*douzain*) legem a Molinetto datam discipulus servat; additque aliam quamdam esse stropham, *quátorzáin* dictam, gravem et ponderosam ideoque ad historias et lamentationes aptam; ex qua Johannes Major *Plánctum Desideráti* (*La complainte du Désiré*) finxit.

Rhythmus tertiatus (*tiercet*), de quo, ab Italicis partibus oriundo, ne minima quidem mentio in superioribus rhetoricae gallicae Artibus invenitur, ita commendatur : « Autre taille et façon de ryme nommee

vers tiercez, qui a nostre langue est bien nouvelle, de laquelle n'ay encores [vu] aulcun user, sinon icelluy feu le Maire,. qui en a fait et composé le Temple de Venus. Et ceste mode et maniere est Toscane et Florentine, dont messire Françoys Petrarque a fait le livre trés utille de ses six triumphes. »

Alexandrinos versus strophis quarum unaquaeque unum rhythmum habeat convenire posse Molinettus scripsit, proque exemplo quinque primos cujusdam poematis versus in eamdem syllabam exeuntes retulit. Discipulus rursus alexandrinum versum rhythmo duplice, vel cruciatu, vel strophis ex quinque versibus qui inter se consonent, ordinandum jubet, hujusque modi pro exemplo eosdem quinque versus, paululum more solito mutatos, refert, unde non dubium facio quin magistrum prave intellexerit.

Quae deinde Molinettus de torta cauda (*queue annuée*), quam noster caudam concatenatam (*queue enchaînée*) vocat, de duplice cauda, de planctibus amatoriis, de rondellis, *bergerettes*, *fatras*, ballatis, cantibus regalibus, servantasiis dixit, eadem noster repetit. Quod tamen ad cantum regalem attinet, eum in certamina Rothomagi, die festo Conceptionis Beatae Mariae, et Dieppae Ambianisque, die festo Assumptionis, habita deferri addit.

Nihil de palinoda.

De poemate quod *lai* appellant, quod Molinettus omnino praetermisit, multa verba noster fecit; hoc vero nomen omnibus dat poematis quae e brevioribus longioribusque versibus permixtis constant, pluraque

specimina citat, inter quae illud Willhelmi Alexis cui *Le Blason des fausses Amours*, aliudque Johannis Majoris, cui *Valétude de la reine deffuncte* titulus inscriptus est.

Eadem ac Molinettus de *riqueraque* dicit; traditque aliud poematis genus esse, in quo versus quaterno rhythmo ita componuntur : *a b a b b c b c c d c d d e d e*, etc. In hoc deinde cum Molinetto denuo concinit quod istud vile carminis genus quod *baguenaude* nominatur, rhythmumque *de goret* et verborum iterationes rejicit.

De aequivocis verbis plurima exponit : rhythmos aequivocos ex uno (1) vel pluribus vocabulis (2) effici; esse etiam versus ex priore hemistichio et rhythmis (3) vel omni ex parte (4) aequivocos ; latinos gallicosque versus inter se mixtos eosdemque aequivocos (5) ; alia aequivocorum verborum genera « *double unisonance* » vel « *triple unisonance* » gallice dicta;

(1) Qui n'a force argent et *avoir*
A peine peult amys *avoir*.

(2) Se mon cueur fut *de ire pou resjouy*,
Certes, pour vray, *dire pourray je ouy*.

(3) *Filz, par escriptz* j'ay sceu que ung jour, a *Han*,
Fis pareilz criz d'homme qui souffre *ahan*...

(4) *Tournay, entour sa folle oultrecuydance*,
Tournaye en tour; se affolle oultre qui dance.

(5) Tuos tu efficis *cecos*,
Puis soudain les rendz plus *secz que os;*
Fidem haud *servare potes*,
Par toy ton *serf a repos telz*,
Nempe quia *plurimos sumptus*,
Et lors quant *plus riz, motz sont teuz*...

verba vero univoca sive *coronata* in medio (1), aut in fine versuum (2), aut in medio simul atque in fine (3) collocari.

His verbis Artem absolvit :

« Assez d'autres reigles et tailles de rhetorique se treuvent que n'ay pour brefveté icy posees. Car seullement ay touché a prendre les meilleures et plus riches. Fin de l'art et science de Rhetoricque. »

Sequitur index circiter quattuordecim millia verborum inter se consonantium continens, quorum postea multa jam obsoleta homo quidam, cujus sane fuit liber, delevit, nonnullis aliis in eorum locum substitutis. Ex verbis autem ita suffectis, nomen *Malherbe* dignum est cujus mentionem faciam. Qui vero indicem hoc modo emendavit idem esse mihi videtur atque ille qui in ultimae paginae margine scripsit : « Henry, roy de France, a tous presents et... *Bellot* » (4).

(1) Non sans *voix voys* crier a Dieu mercy,
Car en *croix croys* qui chasse maint soucy...

(2) Par guerrier n'ont les *pupilles plus piles*,
Vefves ont pertes aux longz *desroys des roys*...

Quant du gay bruyt d'amours *souvent vent vente*,
Et l'amant, qui son cueur *sçavant vend, vante*
S'amour. . . . .

(3) Par dis*cors cors* ja pris en re*cordz corps*,
Creux gar*nidz nidz*, ou a mes a*mys mys*...

(4) Codex fuit deinde quorumdam virorum nomine *Touvenot* et *Dargouges* : « Ce present livre appartient a M. Toufvenot le Cliquetier, demeurant en la rue des Amazones. »

« A mon cousin et bon amy, mon cousin Dargouges, demeurant en la paroisse Saint Pierre de *Caen*, près la Cohue dudict lieu, a qui appartient ce present livre. Qui le trouvera, qu'il luy rende, et il

Scriptor hujus Artis, cum Molinettum non sequitur, Johannem Majorem pro duce et magistro potissimum habet. Quod judicii sani certum indicium est; si enim quaedam futuram gallicae poesis instaurationem jam iis temporibus praenuntiant, haec nusquam nisi in Johannis carminibus animadverti possunt. Quibus autem gradibus jam progressa sit illa instauratio, significant et genus rhythmorum ab Italicis adscitum, et quae de feminina caesura et de versibus masculinis femininisque inter se certa lege alternandis Ars nostra jubet.

pairra du vin plain la gorge d'un corbin. Ma mere, que fez Robin? »
Malherbe et ipse a Cadomo oriundus erat.

GRATIANI DE PONTE, ART ET SCIENCE DE RETORIQUE METRIFFIEE.

Artem novam, anno 1539, edidit Gratianus de Ponte, scutarius, dominus de Drusaco, locum tenens laicus generalis senescalciae Tolosanae (1). Quinto ante anno Gratianus librum quemdam *Controverses des sexes masculin et féminin* inscriptum collegerat, a quo non potest Ars disjungi. In illo enim Gratianus, « quamvis in animo habeat pravarum mulierum naturam arguere, illud praesertim, ut ipse ait, sibi proposuit uti adulescentibus rhetoricae discendae cupidis omnigenarum rhythmorum exempla suppeditaret » (2). Artem scripsit ut exemplis in *Controversiis* traditis praecepta conjungeret : inde hanc legentes ad *Controversias* continuo vocat; ita ut arctior sit inter illos libros cognatio, cum unius ejusdem operis duae partes esse videantur, quam inter Infortunati Artem et collectanea quibus est titulus *Jardin de Plaisance*.

In grandiloquo quodam prooemio laudata ipsa elo-

(1) Gratien du Pont, écuyer, seigneur de Drusac, lieutenant lai général de monseigneur le sénéchal, en la sénéchaussée de Toulouse.

(2) Pellissier, p. 23.

quentia, plurimisque memoratis cum profanis tum etiam sacris viris qui eam apud veteres coluerunt, Gratianus quid in mente habeat his verbis declarat : « Pour venir au but de nostre propos, desir et intention, il y a deux manieres de Rhetoricque vulgaire. L'une est dicte rhetoricque prosaïque, l'aultre rhetoricque metrifiee, c'est a dire rithme, laquelle se faict par vers et mettres. De la prosaïcque, a cause de brefveté, vous remettrons pour le present a feu Mᵉ Pierre Fabri, en son vivant curé de Merey, qui en a parlé en son livre intitulé *l'Art de plaine Rhetorique* assez au long et au vray, parquoy ce ne seroit que redicte. Quant a la dicte rithme, qui se faict par vers et mettres, de laquelle nous entendons parler en nostre presente petite preface, qu'est plus subtille et difficille que la dicte prose, vous en dirons moyennant la grace du Sainct Esperit quelques choses encor non descouvertes ny revellees par les autheurs que jusques yci nous sont venuz a notice par les faictz de leurs oeuvres divulguees et manifestes. »

Poesi deinde cum musica comparata, quaenam sint inter ea similitudines adnumerat; deinde de sono et voce, de litteris, syllabis, verbis et sermone disserit, argumentis plerisque ex Arte provincialis rhetoricae cui titulus est *Flors del Gay Saber* sumptis. Deinde rhythmos in duo genera distribuit, scilicet in duplices rhythmos et in cruciatos, quorum ab utroque ducuntur alia omnia genera quae sunt : « rithme ruralle, r. simple, r. riche, r. leonine, r. rondeliste,

tant a triolet, [rondeaux] simples, rondeaux doubles que redoublez, r. de virelay, r. de lay, r. d'arbres fourchu, r. dicte kyrielle, r. concathenee, r. meslee, r. teste et queue, r. senee, r. brisee, r. dicte dyalogue, r. bergerette, r. pastorelle, r. dicte chappellet, r. d'espece de palinode, r. leonine en stille, r. dicte epilogue ou fatras, r. dicte servantoys, r. caudere, r. de goret, r. a termes contraires, r. de chanson, r. battelee, r. annexee, r. fratrisee entrelassee, r. enchaisnee, r. retrogradee, r. equivoquee, r. coronnee, r. emperiere, r. de equo, r. alexandrine, r. dicte d'eschiquier, formes de ballades et de chantz royaulx. »

His ita expositis, contra femininae caesurae leges, quae jam invalescebant, quasque in superiore Arte praeceptas vidimus, multa et acerba, e Fabro et libro provinciali modo laudato pleraque sumpta, expromit; concluditque, cum necesse sit eadem intervalla in media versus parte atque in extrema sint, elisionem in caesura vitiosam esse, syllabamque femininam, si in fine prioris hemistichii sit, pro nihilo habendam. Haec est quam nunc *epicam* caesuram appellamus.

Deinde Gratianus leges quae ad singula rhythmorum genera pertinent expandit. Qua in re Fabrum sequitur, ejus praecepta modo explicat, modo reprehendit, aut etiam legentem ad ea rejicit. Non semper vero feliciter Fabrum castigat : vide, exempli gratia, quae de carmine a Fabro *lay*, a Gratiano *arbre fourchu* nominato, dicta sint.

Rhythmorum generibus a Fabro definitis alia quae-

dam Gratianus addit, e quibus haec digna sunt quae referantur :

Rhythmus concatenatus, cum ultimus cujusque strophae versus initio insequentis strophae repetitur.

Rhythmus permixtus, cum ultimo cujusque strophae verbo verbum latinum, quo sensus expleatur, succedit. Summa vero latinorum verborum aliquid significet necesse est.

Quem rhythmum Gratianus « *teste et queue* » seu « *capitale et finale* » nominat, ex exemplo promptius quam ex definitione intelliges :

F emme pour vray tousjours a maulvays chie f
aisant faulx tours, mainct ung mal et meschie .

Cura vero ut litterae quae quasi capita et caudae versuum sunt nomen quoddam vel proverbium in unum collatae efficiant.

Rhythmum *sené* dictum habes cum prima singulorum in toto versu verborum sibi constat, et ipsae primae versuum litterae sensum quemdam praebent, si conjunxeris.

Sunt et alii pueriles rhythmorum ludi quos Gratianus *rime a termes contraires*, *rime annexee entrelassee*, *rime emperiere*, *rime d'echo*, *eschiquier*, appellat, et eos, ne tibi majus taedium afferam, praetermitto.

Rhythmos autem quibus nomina sunt : *pastourelle*, *chapelet*, *palinode*, *leonine*, *epilogue* seu *fatras*, *servantois*, *rime caudere*, *de goret*, faciliores et idcirco

viliores aestimat quam ut earum leges tradat; qui tamen eas noscere velit, eum ad Fabrum rejicit.

Palinodam *kyrielle* appellat.

Quod spectat ad figurarum descriptionem, qua opus suum terminat, Fabrum per omnia sequitur.

Gratianus, cum de Artibus quae ante suam Artem exstiterint satis superbe loquatur, nihil tamen novi nisi ridiculas quasdam nugas affert. Quod enim in alia non invenit, ab alia sumpsit. Ceterum eae ipsae nugae paulum ab iis differunt quarum specimina Molinettus, Infortunatus aut Faber retulerunt, quaeque aliunde notae erant. Quod vero ejus fortasse proprium est, ipseque sibi vindicat, iste est perridiculus rhythmorum lusus quem *eschiquier* nominat (1).

Quia et Eustachius de Campis et Gratianus rhetoricam unam ex septem artibus liberalibus habent, contendit Zschalig hunc illius librum novisse; quod quidem argumentum mihi nullius ponderis videtur. Eustachii tamen Artem et ipse existimo Gratiano notam fuisse; persuasum enim habeo ab illa mutuatum esse quod hic de similitudinibus inter rhetoricam et musicam, nec non de litteris vocalibus aut consonantibus dicit.

Infortunati autem libellum appellat *Rhétorique du Jardin de Plaisance* (2); Artem provincialem supra

(1) Eschiquier « est une sorte de rithme de laquelle n'a esté faicte aulcune mention aulx œuvres des rhetoriciens qui ont composé sur l'art de la dicte rhetoricque mettriffiee en françoys. » In singulis mandris altero colore tinctis singuli versiculi altero rhythmo inscribuntur, qui eadem ratione ac calculi moveri possint.

(2) P. 67, 68.

laudatam, *Rhétorique de la maison commune de Toulouse* (1) ; Fabrum vero proprio nomine saepius vocat.

Ex impedimentis, quibus impliciti misere torpebant, gallici poetae jam sese expedire tentabant cum Gratianus Artem suam edidit; nihil tamen in ea apparet « unde novos jam spiritus haurire possit nostra poesis (2). » Immo puerilibus priorum ineptiis « aliquid etiam spinosius adstruit (3) » ; quas enim Crettinus aut Johannes Major aut Marottus emendationes experti erant, eas vehementer respuit; qui jam exolescentes rhythmorum modos parvi faciunt, eos increpat, crassos, superbos, invidos appellans, aequiparatque « aulx cousturiers et cordonniers de la court, lesquelz nuyct et jour ne pencent qu'a trouver nouvelle sorte d'acoustremenz; mais souventes foys, après qu'on a ung petit usé desdictz accoustremenz, on retourne a l'ancienne mode, la trouvant plus commode et utille. »

Hujus pertinaciae rationem recte reddidit Georgius Pellissier cum scripsit : « Tolosae natus erat Gratianus Pontius et totam aetatem in provincia sua contriverat, unde facilius intellegitur quomodo ejus Ars, hoc tempore edita quo jam poesis nostra ad veterum imitationem sese fingere incipit, Cretini tamen Molinetique magis quam recentiorum vatum disciplinam redolere videatur (4). »

(1) P. 67, etc.
(2) Pellissier, p. 23.
(3) *Ibid.*, p. 24.
(4) *Ibid.*, p. 23-24.

SIBILETTI ARS POETICA.

Ars illa, ut verum loquar, non jam Ars rhetoricae dicenda est; non quidem quia ei Artis poeticae titulum Sibilettus imposuit, sed quia titulus materia ipsa comprobatur. Cum tamen Sibilettus, etsi proximam poesis renovationem significat, obsoleta tamen pristinae rhetoricae genera aliaque ex eis inflexa laudet, librum ejus a re nostra minime alienum putavi. Extremum enim veteris poesis nostrae gradum indicat, antequam a Graecis et Latinis carminibus nova genera novique quasi spiritus hauriantur.

Veterrima est omnium Artium gallicarum quibus « Ars poetica » inscripta est, ut quae anno 1548 edita sit (1).

Liber in duas partes distributus est: altera disserit de natura poesis, quae sit ejus origo, quae excellentia, quid sit inventio, quibus legibus versus fingantur et inter se connectantur; in altera parte carminum genera explicantur. Quid autem Sibilettus de poesi

(1) Septies typis mandata est, videlicet annis 1548, 1551, 1555, 1556, 1564, 1573, 1576 (cf. Zschalig, p 64).

senserit quantoque Gratiano, Fabro, Infortunato ceterisque eorum aequalibus praestet, ex eo facilius intelliges quod de inventione scripsit : « Ce qu'en poésie est nommé art, et que nous traitons comme art en cet opuscule, n'est rien que la nue escorce de poésie qui couvre artificiellement sa naturelle seve et son ame naturellement divine. » Hanc etiam sententiam inter complures alias Horatii, quem ducem saepe sequitur, refert :

> neque enim concludere versum
> Dixeris esse satis; neque, si qui scribat uti nos
> Sermoni propiora, putes hunc esse poetam.
> Ingenium cui sit, cui mens divinior atque os
> Magna sonaturum, des nominis hujus honorem (1).
> (Hor., *Sat.*, I, iv, 40).

Quod vero ad structuram versus attinet, paulum a scriptoribus superioris aetatis abest; aequivocum rhythmum omnium elegantissimum existimat, eum vero qui gallice *rime de goret* dicitur inter rhythmos hoc nomine dignos adnumerare abnuit.

Plura de rhythmis praecepta a Gratiano de Ponte mutuatur, quem non nomine, clare tamen designat, cum increpat « je ne say quels autheurs de Rhetorique metrifiee qui... ont abusé de ce terme en cet endroit et de leur autrement bon esprit en maint autre, » quod diphthongum synaloepham appellaverint.

(1) Erravit G. Pellissier cum scripsit Horatii ne minimam quidem mentionem apud Sibilettum inveniri (p. 40).

Non plura de hac operis parte dicam, cum ejus summarium apud Pellissier et Zschalig habeas.

Alteram vero libri partem scribendo Sibilettus Clementem Marottum sequitur, eum pro magistro potissimum habet, ejus exempla refert; ea tantum rhythmorum genera tractat quae usurpavit Marottus; ea commendat quibus ille posteriore parte vitae suae usus est, ea vero quibus Marottus in primis modo juventutae temporibus indulsit et ea deinde colere desiit, obsoleta declarat, eaque silentio praetermitteret nisi quid majoribus detrahere timeret (1).

Genera autem quae Marottus posteriore vitae parte coluit Sibilettusque describit et commendat sunt epigramma, sonnettus, canticum (*cantique*, *chant lyrique ou ode*), cantio, epistula, elegia, dialogus (*eglogue*, *moralité*, *farce*), *coq a l'asne*, *blason*, enigma, planctus (*complainte*, *deploration*).

Quae vero genera reliquit elegantissimus quisque poeta et ea tantummodo in majorum venerationem scriptor noster commemorat, sunt rondellus, ballata, cantus regalis, *lai* et *virelai*.

De rondello haec dicit Sibilettus : « Pour ce que la matiere du rondeau n'est autre que du sonnet ou epigramme, et les poëtes de ce temps les plus frians ont quitté les rondeaux à l'antiquité pour s'arrester aux epigrammes et sonnetz, poëme de premiers pris entre les petis. Et de fait tu lis peu de rondeaux de

(1) Cf. Pellissier, p. 34.

Saingelais, Seve, Salel, Heroët, et ceux de Marot sont plus exercice de jeunesse fondée sur l'imitation de son pere qu'œuvre de telle estoffe que sont ceux de son plus grand eage, par la maturité duquel tu trouveras peu de rondeaux creuz dedans son jardin. Toutesfois, pour honnorer l'antiquité et n'ignorer l'usage du rondeau, quand tu le liras ou prendras envie d'en faire, enten qu'il s'en faict de quatre sortes (1). »

Quas deinde rondelli leges definit, eas Gratiano mutuatus est.

Ballata rursus et cantus regalis quantum obsoleverint, eo plane significatur quod Sibilettus sensum verbi *prince*, in versibus quibus poema *mittitur* inserti, non jam intellegit. Ait enim : « La balade est poème plus grave que nul des precedens, pour ce que de son origine s'addressoit aux princes et ne traittoit que matieres graves et dignes de l'oreille d'un roy (2)... Toute telle difference y a il entre le chant royal et la balade comme entre le rondeau et le triolet, car le chant royal n'est autre chose qu'une balade surmontant la balade commune en nombre de coupletz et en gravité de matiere. Aussi s'appelle il chant royal de nom plus grave ou a cause de sa grandeur et majesté qu'il n'appartient estre chanté que devant les roys, ou pour ce que veritablement la fin du chant royal n'est autre que de chanter les

(1) P. 105.
(2) P. 115.

louanges, preeminences et dignités des roys tant immortelz que mortelz (1). »

Quod spectat ad carmina vulgo *lai* et *virelai* dicta, eorum in memoriam tantummodo majorum mentionem facit, « quos, cum ex rusticitate et barbarie in politiorem cultum nos induxerint, patrum et magistrorum loco venerari justum est. »

Ad finem denique operis, quasi in appendicem, relegat quidquid dicit de versibus nullo rhythmo adstrictis, quibus Bonaventura des Periers usus est, et de priscis rhythmorum nugis, quibus Clemens Marottus, cum juvenis admodum esset, indulsit, quas, cum sermonem latinum usurpanti omnes numerare haud promptum foret, gallico sermone adnumerabo : kyrielle, rime concatenée, annexée, fratrisée, enchaînée, senée, couronnée, emperiere, « de ceste n'a point usé Marot ne les celèbres poètes de ce temps », couronnée annexée, en écho, batelée, « qui n'est aujourd'huy gueres usitée hors les balades et chans royaux, et ne rencontreras bateleure en tous les vers, fors chez les vieux poètes, qui ont esté auteurs et aucteurs de la bateleure... Retrograde est aussi de la vieille mode et peu usitée aujourd'huy entre ceux qui ont le nez mouché... Je renvoieray aux vieux eschiquiers pour en tirer exemples, pour ce qu'il me semble que je te feroye tort de t'en emplir papier. Car aussi tost auras entendu de toy mesme la ryme retrograde comme le rebus et le contrepetit de cour. »

(1) P. 120.

Ex hoc perbrevi summario operis ipsius natura perspici potest : non omnia carminum genera quae Ronsardus et ejus amici jam mox commendaturi sunt novit; in antiquarum tamen rerum numerum ea rejicit quae postea πλειάς nostra omnino respuet. Eumdem locum in historia Artium poeticarum occupat atque Marottus in ipsius poesis historia. « His temporibus Sibileti opus aptum est quibus domestica Musa nihil aliud quam primum signum exspectat ut latiorem sibi campum ipsa aperiat (1). »

(1) Pellissier, *loc. cit.*, p. 40.

DE FONTANAE QUINTILIO CENSORE. DE CLAUDII DE BUXERIA, JACOBI PELLETIER ET ANTONII FOUQUELIN ARTIBUS POETICIS.

Primo post anno quam librum, de quo supra, Sibilettus ediderat, Joachim de Bellaco suam *Defensionem et Illustrationem gallicae linguae* in publicum proposuit, in qua mores a prioribus poetis traditi omnino repudiantur. Haec fuit mors gallicae priscae poesis. Fuerunt sane qui pristinas carminum formas defendere conarentur, sed nihil profecerunt. Inter omnes Fontana, libello cui titulum *Quintilium Censorem* inscripsit, *Defensioni* respondit (1). Fontana Joachim increpat quod injuriose et ingrate inscitiam majoribus objiciat, qui tamen nec rudes, nec litterarum expertes fuerint; immo affirmat Willelmum de Lorris, Johannem de Meun, Willelmum Alexis, Nicolaum Oresme, Alanum Aurigam, Villonem, Meschinottum et plurimos alios non minus elegan-

(1) *Art poetique françois pour l'instruction des jeunes studieux et encor peu avancez en la poesie françoise. Avec le Quintil Horatian sur la defense et illustration de la langue françoise.* Paris. Par la veufve Jean Ruelle rue S. Jacques a l'enseigne Sainct Nicolas. 1573.

ter olim sua ipsorum lingua quam nos nunc nostra scripsisse : « Trop desdaigneuse, inquit, est ceste exhortation de laisser les vieilles poésies aux floraux de Tholose et aux puis de Rouan. Par laquelle trop superbe dehortation sont indignement et trop arrogamment deprisées deux très nobles choses. Dont l'une est l'institution ancienne en deux très bonnes villes de France de l'honneur attribué au mieux faisans, pour l'entretien éternel de la poésie françoise, jouxte le proverbe : L'honneur nourrit les ars. Tel que jadis fut en Grèce, es Olympiques, et a Rome, es jeux publiques. L'autre est l'excellence et noblesse de noz poèmes les plus beaux et les plus artificielz, comme rondeaux, balades, chans royaux, virelaiz, lesquelz tu nommes par terrible translation espicerie corrompant le goust, qui toutesfois en toute perfection d'art et d'invention excedent tes beaux sonnetz et odes (1). » Neque pietate modo erga majores genera poesis ab iis accepta tuetur, sed ob hanc praesertim causam quod et ipse ea tanto pulchriora judicat quo subtilioris operae sunt. Hanc opinionem non semel exprimit ; immo Joachim incusat quod aequivocos rhythmos propter difficultatem respuat.

Nihil vero causae profecit patrocinium a Fontana susceptum ; tantum enim fastidium Crettinus, Molinettus, Meschinottus, Gratianus aliique ejusdem generis scriptores attulerant ; tanto novarum rerum studio omnes ardebant, ut nulla jam ratio impedire

(1) Pages 220-221.

posset quin poetae, priores modos etiam plus aequo dedignati, totos sese ad Graecorum Latinorumque imitationem converterent.

Fontanae libellus pro ultimo inter eos haberi potest qui ad pristinam Galliae poesim respiciunt. In Artibus enim poeticis quae postea non rarae fuerunt, nulla fere obsoletorum generum fit mentio.

Dicitur tamen libellus Claudii de Buxeria, anno 1554 typis expressus, cui titulus est *Art poétique réduit et abrégé*, priorum scriptorum disciplinae et exemplis accommodari; cum vero hunc librum nusquam reperire potuerim, utrum res vera sit an non, nescio.

In Arte poetica Jacobi Pelletier (1), anno sequente edita, nulla priscae poesis vestigia deprehenduntur. Quanquam Pelletier Marotti discipulus nuper fuit, « priorum vatum genera funditus reicit, vehementerque ipse queritur quod nullum alium campum per tot saecula poesis nostra sibi patefecerit (2). »

Antonius Fouquelin, in sua Arte eodem anno emissa (3), ad id tantum « le lay et le virelay des anciens poëtes françois » citat, ut ea cum epistropha comparet.

Fuerunt sane qui novas res male tulerint, qui per-

(1) *L'Art poëtique de Jaques Peletier du Mans, departi en deus livres*. A Lyon par Jan de Tournes e Guil. Gazeau. 1555 (Bib. Nat., Rés. *Y* 4328 + *A*).

(2) Pellissier, p. 50.

(3) *La Rhetorique françoise d'Antoine Fouquelin de Chauny en Vermandois*. Paris, 1557.

tinaci animo rondellum sonnetto anteposuerint (1) ; in remotis praesertim a Lutetia partibus Galliae, ad certamina *Podia Amoris*, *Podia Beatae Mariae*, *Cameras Rhetoricae*, vel quovis alio nomine appellata, per non breve temporis spatium, ballatae, cantus regales, servantasii recitata fuerunt. Sed politissimus quisque in recentiorum poetarum gregem concessit, vetustioribusque rhythmorum ludis non jam, nisi interdum ut animum relaxaret, indulsit. Inde Pascasius, cum de iis nonnulla scribat, ut quam flexibilis sit gallica lingua ostendat, his verbis exorditur : « Je veux que tout ce chapitre ne me soit qu'une bouffonnerie (2). »

(1) Sibiletti Ars, ut supra dixi, non semel etiamtum typis mandata fuit, ejusque epitome edita fuit.

(2) Pasquier, *Recherches*, lib. VII, cap. XII.

CONCLUSIO.

Ex Artibus Rhetoricae rhythmicae a me ita summatim exploratis apparet eas ad hoc spectare, ut poesis non vim genuinam sed artificia tantum tradant. Ne igitur aliquid majus in iis quaeras. Saepius scriptoribus istis vitio vertitur quod in poesi nihil nisi callidam rhythmorum versuumque dispositionem aestimaverint. In Artibus tamen eorum nihil invenias cur in hanc vituperationem veniant; immo nihil quo demonstrari possit eos in animo habuisse ut poetas crearent : hoc de majore certe eorum parte dici potest. Rationem versificandi modo docere, vel libellos, qui poetarum memoriae quoad implicatissimas versuum fingendorum et inter se connectendorum leges adjumento essent, in breve coarctare sibi proposuerunt. Quod si alia in libris quos perpendimus desideres, tanto magis erras quod saepius ipsi scriptores sive in praefatione sive in titulo operi inscripto quid vellent accurate significaverint.

Etenim Eustachius de Campis, a quo vetustissima ex Artibus quae ad nos pervenerunt scripta fuit, monet poetam nullum nisi natura fieri; ingenium

autem nulla arte, « tant fut sage le maistre ou le disciple, » acquiri posse; unde eos tantum qui a natura ingenium acceperint nonnulla praecepta se docere, « afin que ilz saichent cognoistre les façons et couplés des lais, la maniere des balades, chançons et rondeaulx en pluseurs et diverses manieres (1). »

Jacobus Magnus eadem non minus diserte significat, cum de rhythmis verba facturus sic incipiat : « Ryme peult estre nombree entre les couleurs (2) de rethoricque, toutesfois je l'ay separee come celle laquelle requiert plus grant exposicion, car rymes se font en pluseurs et diverses manieres. » Ingenium vero omnino aliud esse existimat ; id enim his verbis definit, quae, nondum typis expressa, hic mihi referenda videntur. « Poetrie est science qui aprent a faindre et a fere ficcions fondees en raison et en la semblance des choses desquelles on veult parler, et est ceste science moult necessaire a ceulx qui veulent beau parler, et pour tant poetrie, a mon advis, est subalterne de rhetorique. Bien est vray que aucuns dient l'opposite, come Alpharabe, en son livre de la division des sciences, lequel dit que poetrie est la derreniere partie de logicque, et dit oultre plus que poetrie est science qui aprent a versifier et a ordonner ses motz et ses parolles par certaine mesure, mais, a mon advis, ceste oppinion n'est pas raisonnable, car poetrie ne aprent point a arguer, laquelle chose fait

(1) P. 267.
(2) Id est ornatus.

logicque, poetrie aussi ne monstre point la science de versifier, car telle science appartient en partie a Grammaire et en partie a Rhetorique, et pour tant, a mon advis, la fin et l'entencion de poetrie si est de faindre hystoires ou aultres choses selon le propos duquel on veult parler, et de fait son nom se demonstre, car poetrie n'est aultre chose a dire ne mais science qui aprent a faindre. »

Si ceteri scriptores eadem praefari non curarunt, se tamen partem quamdam tantum artis poeticae docturos significarunt, cum in titulis libellis suis inscriptis non modo verbum Poesis nunquam inveniatur, sed verbo etiam Rhetoricae alia semper adjuncta sint quae ejus sensum definirent, ut, exempli causa : « Rhetorique laie » ; « Seconde rhetorique » ; « Rhetorique pour rimer en plusieurs manieres » ; « Rhetorique ou l'on trouve termes, patrons et formes, exemples, couleurs et figures de dictions et tailles modernes qui sont maintenant en usage ; » et alia varia.

Nihil igitur aliud in animo habuerunt qui Artes Rhetoricae rhythmicae scripserunt nisi ut formas quorumdam poematum discendi cupidis traderent. Hanc ob causam, cum exemplorum interpretatio est facilis, ea proferre, legibus non expositis, satis habent. Si autem subtilioribus spinosioribusque versuum modis primas partes tribuunt, simpliciores tamen non semper despiciunt, sed faciliores vulgatioresque ducunt quam ut eos exponant. Neque unquam hunc esse poetam qui rondellos, ballatas seu quodvis aliud poema efficit, sed componentibus ea

leges communes certasque observandas esse dicunt.

Re ita excogitata, omnia quae ad ingenium pertinerent praetermitti decebat. Eadem causa est cur alia quaedam, quibus locus est in qualibet Arte poetica, in libellis nostris desiderentur. Noli igitur hoc mirari, Infortunatum primum fuisse qui de quibusdam usitatis carminum generibus, ut puta de dramaticis, proprium capitulum scripserit. Non modo enim quidam scriptores, ut Eustachius de Campis, Jacobus Magnus et qui Artem codicis *Nov. Acq.* 1869 scripsit, nihil nisi coarctatissimum compendium fecerunt, sed omnes etiam solis versuum legibus exponendis studuerunt. Cum autem dramaticae fabulae non propriis versibus scriptae essent, nihil de iis dixerunt, nisi, occasione data, quinam versuum modi iis rectius congruerent.

Similibus etiam ex causis nulla exempli gratia relata sunt poetarum carmina qui, ut Carolus dux Aurelianensis vel Villo et alii, multo pluris valuerunt quam ii quorum nomina et exempla saepe laudantur. Illi enim minus indulserunt laboriosis rhythmorum ludis quorum leges ab Artium scriptoribus explicantur. Saepe etiam iis qui Artes rhetoricas componebant satius videbatur propria opera pro exemplis proponere.

Animadvertendum est praeterea non omnes ad nos pervenisse Artes Rhetoricae rhythmicae quae fuerunt: cujusdam enim ex iis nunc amissae distichon supra retuli. Haud dubium quoque videtur quin quae in codice Bib. nat., *Nov. Acq.* 1869 servatur ex amissa

quadam eademque antiquiore excerpta sit. Verisimile est etiam in locis septentrionalis Galliae, ubi quotannis ludi poetici celebrabantur, codices fuisse in quibus leges et exemplaria carminum in certaminibus suscipiendorum servarentur ; atque hoc mihi eo credibilius videtur quod ejusmodi librum, quo Tolosani a quarto decimo saeculo ad *florales ludos* usi sunt, etiam nunc habemus. Spes igitur mihi est fore ut alii hujuscemodi libelli adhuc latentes in lucem emittantur.

Si dixi scriptores Artium Rhetoricae rhythmicae in animo habuisse non ut poetas crearent, sed ut eos qui a natura ingenium acceperint usitatos carminum modos docerent, non hoc tamen infitiandum existimo, si accuratius interiorem eorum mentem explores, eos artificio nimias partes tribuisse. Neque etiam dubito quin inter eos praesertim recentiores, si Artes poeticas, hujus nomine vere dignas, scribere voluissent, vix paucissima iis quae de rhetorica scripserunt addere potuissent. Sed quod fecerunt, non quid facere potuerint, judico.

Attamen, cum fingendorum carminum leges immodice numero augeri video, non possum quin hoc praesentiam, fore ut istae scriptorum cogitationem plus justo occupent, haud sine magno sententiarum detrimento, sententiaeque rursus formarum vinculis impeditae non jam convenienter explicari possint.

Quare vero poetae nostrates artem pluris in dies fecerint? Sunt qui ingenium effetum putent; mihi vero hoc de natura, quae nunquam senescit, quae eadem semper liberalitate in homines utitur, irreve-

renter injusteque dictum videtur. Immo saeculo quinto decimo, quo virorum animi ad militiam amoresque miro ardore incendebantur; quo puellula quaedam, exercituum ducem sese praebens, hostes a Francia, quam centum annos populati erant, rejecit; quo adolescens ille rex intra paucos dies totam Italiam suae ditionis fecit; quo clerici, relicta dialectica, avide Latinorum litteris studebant; quo denique et rex et duces Burgundiae Aurelianensisque et ceteri principes certatim litteris favebant, si quis illo, inquam, saeculo ingenium et vim poeticam defuisse putat, longe vehementerque errat.

Neque necesse fuit, ut vulgo creditur, ingenii paupertatem minutiore versuum cura et sollertiore calliditate adjuvari; immo vero cura et calliditas illa ingenii paupertatem fecerunt. Attamen, quod saepius fit, forsan evenit : scilicet, postquam effectus quadam ex causa natus erat, ipse vim causae habuit, ita ut causa in effectum, effectus rursus in causam verteretur.

Cur autem poetae quinti decimi saeculi et prioris partis sexti decimi formam externam poesis tanti fecerint, scriptores Artium Rhetoricae rhythmicae docent cum poesim et musicam germanas esse dicunt : « Nous avons deux musiques, inquit Eustachius de Campis, dont l'une est artificiele... L'autre musique est appelee naturele, pour ce qu'elle ne puet estre aprinse a nul se son propre couraige naturelment ne s'i applique. Et est une musique de bouche, en proferant paroles. metrifiees, aucunefoiz en laiz, autrefoiz en balades, autrefois en rondeaulx, cengles

et doubles... Est appelee musique ceste science naturele pour ce que les diz et chançons par eulx faiz ou livres metrifiez se lisent de bouche et proferent par voix non pas chantable, tant que les douces paroles ainsi faictes et recordees par voix plaisent aux escoutans qui les oyent, si que au puy d'Amours, anciennement et encores acoustumez en pluseurs villes et citez des païs et royaumes du monde. »

Centesimo autem fere post anno eadem scribit Molinettus : « Rhethorique vulgaire est une espece de musique appelee rythmique, qui contient un certain nombre de sillabes, avecques aucune suavité d'equisonance. »

Gratianus de Ponte rursus musicam et poesim simillimas inter se esse affirmat, utriusque enim finis est aurium voluptas ; alteri quinque lineis opus est, alteri quinque vocalibus ; musicae delectatio omnis in cantu, poesis in declamatione est.

Cum autem hoc de poesi sentirent, necesse erat sententiis secundas partes dari, quo accuratius sonorum concentus quaereretur, et per rhythmorum symphoniam versuumque callidam dispositionem vel iterationem suavior fieret.

Haec immoderata sonorum cura non modo animos a cogitationibus abducebat, sed etiam sententias quasi claustris constrictas includebat.

Quibus rebus magnopere favebant poetica concilia vulgo *podia* dicta ; quamobrem in regionibus praesertim septentrionalis Galliae, ubi illa vigebant, morbus poesis domesticae crevit, indeque serpsit

et in ceteras regiones simul ac fama poetarum qui palma donati erant manavit.

Qui in his conciliis certabant poemata recitare debebant : scimus autem quanti in istiusmodi recitationibus valeat verborum concinnitas. Adde quod, prae multitudine carminum ad certamina susceptorum, brevia tantummodo, ut cantus regales, ballatae, rondelli, servantasii, pastorales seu alia hujuscemodi recitari poterant.

Materia etiam istorum carminum eadem fere semper erat; scilicet laudes Beatae Mariae. Hoc autem argumentum jamdudum contritum non nisi effusiore versuum cultu novari poterat.

In hac Galliae parte quae Picardiam, Artesium, Flandrias Normanniamque complectitur, sub finem saeculi quarti decimi et praesertim quinto decimo saeculo, nulla fere erat urbs quae poetica concilia annuis vicibus non celebraret. Haec igitur multo plura erant quam ut unicuique eorum praeessent praestantis ingenii judices, nedum isti poesim ad rectum iter revocare possent. Ipsi contra qui palmas dudum in istis certaminibus acceperant, et ex aliquo rondello gemello, seu ballata saltatoria vel retrogradis versibus famam coeperant, normas tuebantur vel argutiores etiam efficiebant.

Baldettus Herenc, ut jam dixi, figuras carminum retulit quae in quibusdam ex conciliis istis recitabantur ; haec sunt : in Insula Flandriae, die dominica ante Assumptionem, servantasius in honorem Assumptionis Beatae Mariae et Passionis Jesu Christi ;

Dieppae, cantus regalis de Nativitate et Assumptione Mariae et Passione Christi ; Ambianis, kalendis januariis, quo anni tempore, medio aevo, sacra antiquis religionibus polluere mos erat, cantio stulta de amore, quae gallice « *sotte amoureuse* » vocabatur, « dans laquelle plus il y a de sots mots et de diverses et estranges rimes, plus elles valent ; » Bethuniae, die dominica post diem festum corporis Christi, pastoralis.

Palmam petenti non modo non licebat ab argumento digredi, seu minutas carminum formas quoquo modo immutare, sed etiam quibusnam verbis unaquaeque carminis stropha incipere deberet indicebatur (1).

In illis autem certaminibus, quae magno concursu celebrabantur, victor coronam accipiebat et ex eo tempore claris poetis adnumerabatur ; carmina etiam quae palma digna judicata erant in unum colligebantur. Spes vero nominis ita adipiscendi homines mediocris vel nullius ingenii incitabat ut versus factitarent. Unde fit ut omnes poetae, seu, ut scriptoris verbum rectius sonans referam, artifices qui, tanquam magnam famam inter aequales adepti, in prooemio cujusdam Artis rhetoricae adnumerantur, nunc omnino ignoti sint (2).

Non minus atque ista podia momentum habuere, ad nostram poesim, principes ipsi. Ii enim versus

(1) Vide supra, p. 70.
(2) Conf. p. 27.

faciebant, non poetico furore impulsi, neque ut sententias novas et altas exprimerent, sed ut delicatiora et blandiora verba mulieribus amicis mitterent, vel ut otiosum tempus in jocis contererent. Illi vero studiosi verborum affectatorum amorisque subtilioris non opus longum, sed exigua tantum carmina condere poterant, ut ballatas et rondellos, quorum virtus omnis versuum formae ipsi inest. Illi principes inter se et familiares amicosque certamina poetica constituebant, ad quae deferebantur ballatae, rondelli vel alia hujusmodi carmina, quorum primus versus a concilii judicibus proponebatur. Sicque, ut exemplo utar, versum :

En la forest de longue attente,

primum sibi ipsis proposuerunt rondelli Carolus dux Aurelianensis; uxor ejus; comes Nivernensis; Jacobus dictus « bâtard de la Trémouille » ; Egidius de Ulnis, dominus de Sancto Germano ; Fredettus, sigillifer praepositi Burgensis, et alii. Duodecim alios rondellos eodem pacto conditos habemus, quorum primus versus est :

Pour acquerir honneur et gloire.

Inter plures in libro nuper edito collectos (1), multos rondellos reperias ex hujusmodi certaminibus ortos. Ex quibus nonnulli etiam aliis responsa reddere

(1) *Rondeaux et autres poésies du XVe siècle*, p. p. G. Raynaud (Société des Anciens Textes).

videntur, cum quam speciem, quosque rhythmos praebeat prior, alter fideliter repetat.

Inde optimates, cum ipsi carmina fingere et familiari quasi domesticorum poetarum coetui favere solerent, proprio simul exemplo atque auctoritate ad id valebant ut illustriorem apud aequales gratiam minora illa adipiscerentur carmina, quae, cum materia contrita et quasi in claustris arctissime inclusa esset, non nisi subtilioribus artificiis praestare possent.

Simul autem atque ista de poesi opinio mediocres animos ad carmina scribenda incitabat, hi rursus vitium augebant, cum, ceteris praestandi studio, formas minutiores difficilioresque redderent, adeo ut iste Meschinottus octo versus qui octo et triginta modis, salvis semper sensu rhythmisque, versari possent componeret.

Quae omnia Ronsardum et amicos ejus excusant, si pristinam majorum poesim plus aequo dedignati sunt.

Vidi ac perlegi,

Lutetiae Parisiorum, in Sorbona,

a. d. viii Idus aug. ann. MDCCCLXXXX,

Facultatis Litterarum in Academia Parisiensi Decanus,

A. HIMLY.

Typis mandetur :

Academiae Parisiensis Rector,

GRÉARD.

INDEX

CAPITUM TOTIUS LIBRI ET CARMINUM QUORUM LEGES IN SINGULIS RHETORICAE RHYTHMICAE ARTIBUS EXPLICANTUR.
